Sapphicæ Petri Bufferoni Medicam colentis facultatem, horæ, ad fidissimorum christicolarum vsum, De salutifero Christi Aduẽtu, de ignominiosa illius morte, de condignis eiusdem matris illibatę Laudibus, cũ septem mõstris mortalibus, & præconiis cœlicolarum, Delphineis in oris æditæ.

Prostant Lugduni sub signo Spheræ apud AEgidium & Iacobum Huguetan fratres.

CVM PRIVILEGIO.

M. D. X X X V I I I.

D·O·M·

Ad oppidoquàm illuſtrem, tum armipotentem, tum Chriſtianiſſimum Franciſcum Regem tenue Petri Buſſeroni

EPIGRAMMATVM.

AVrea trina ferens Gallorum maxime princeps
Lilia, quæ rutilo miſit ab axe Deus.
Miſit ab axe Deus redolẽtem quippe liquorem,
A quo rex dignè diceris eſſe ſacer.
Propterea multò es Regum clariſſimus ipſe:
Nam ſtrumas tactu pellere rite potes.
Eſt amor eximius tecum, clementia necnon,
Dum colis Aſtræam, dum ſcelus omne fugis.
Alter Alexander grandis ſub Marte potenti
Es tu contra hoſteis belligerando truces.

Iuſtus Ariſtides, Traianus habere ſecundus,
Quum querulis præbes ciuica iura uiris.
Si mea caſtalius comitantibus undique nymphis
Continuò curret clarus in ore liquor.
Si modo pierijs haurirem è fontibus undas,
Si mentem aptaret ſacra Miuerua meam.
Si foret Andini reſonans mihi uena poëtæ,
Si mihi conferret doctus Apollo lyram.
Haud equidem laudes meritas ſatis ædere poſſem,
Quæ tibi conueniunt carmine grandiloquo.
Tempora cum fuerint, de te maiora canemus
Diuino ætherei Numinis auxilio.
Maieſtas ideò fulgens tua dotibus almis,
Det ueniam ſeruo ſemper ubique tuo.
Nempe tui uarias Regni circundedit oras
A` teneris annis muſula noſtra diu.
In quibus hos flores placidè decerpſit odoros,
Serta quibus ſummo texuit iſta Patri.
Poſt hæc aduentum domini, mortemq; nefandam
Sub miti Sapphus carmine præcinuit.
Quod tibi iure quidem tribuit pro munere pauco:
Eſt tibi perpetuis dedita temporibus.
Qui uada, qui terram, qui claros condidit axeis
Omnibus in rebus te regat ille tuis.
Vt ualeas tandem ſedeis meditarier altas,
In quibus aſſiduè numina trina uigent.

Sapphicus ad eundem numerus.

Inclytus uiuat, uigeatq; Princeps,
Ille Franciscus ualidus sub armis,
Ac cum Soter dominans in alta
Aede secundet.

AD GENEROSISSImum et omnibus virtutum titulis cumulatissimum Principem, Henricum Valesium, celeberrimi Franciæ regni (vt vocant) Delphinum, ac Christianissimi Galliarum Regis Francisci Valesii filiũ, Petri Busseroni apollineæ facultatis cultoris dodecastichon.

Herculeis fulgens clypeis clarissime Delphin
Te pius empyrea seruet ab arce Theos.
Omnibus in caussis faueat tibi (quæso) serenis,
Quò ualeas hosteis uincere corde truces.
Longæua Vranie digito tibi tempora dextro
Monstrat, & euentus cum pietate tuos.
Vota secũda ferant semper tibi fata Deorum,
Augmentes ut ope Gallica regna diu.

Degito perfaustum Pylij tunc Nestoris æuum,
Nunc memor esto mei, nunc mihi (quæso) faue.
Quos habuit genitor percharus sume libellos,
Astriferæ hi sobolis cantica mira canunt.

AD SVMMAE SPEI Principem Carolum Valesium Aureliæ ducem, Christianissimi Galliarum Regis Francisci huius nominis primi filium, Petri Bufferoni Hexastichon.

Dotibus eximijs pollens nunc inclyte princeps,
Ad te flectit iter musula nostra suum.
Quæ canit aduētum Christi, mortemq; nefandam,
Virginis & laudes, cœlicolumq; probant.
Exprobrat hic monstra septem cacodæmonis atri,
Qui laqueare physin nocte dieque cupit.

Ad eundem tetrastichon.

Quos habuit charus genitor, tu sume libellos,
Qui modo Christigenis cōmoda magna ferent.
Vt patriam ille Bias fugiens, queo dicere, mecum
Diuitias & opes pectore gesto meas.

Ad eundem tetrastichon.

Patrem igitur pro me sublimem (posco) precare,
Vt mihi nunc faueat, tuq; faueto mihi.
Viuito cum probitate dies (nūc ut precor) amplos,
Dent superi demum uota secunda tibi. Amen.

AD SOLERTIS. D. Antonium de Prato vtri. Iur. doctorem, digniss. Rhomani Pontificatus cardinalemque & legatum totius Franciæ temporalia negocia, & spiritalia sacrosanctæ ædis beneficia sapienter regentem Petri Busseroni Decastichon.

Ad Pratum uenio, flores quod pandit odoros:
Inter quos Regis lilia trina uigent.
Lilia trina colit de Prato Antonius ingens:
Vnde suum meritò crescit in orbe decus.
De uiridi Prato Musæ lætantur honestæ:
Sic in eo Nymphæ florea serta legunt.
Pingue uiret Pratum, ac fulget rutilante galero
Id uirent pratum denique (posco) diu.
Illud enim salices nunc altæ: fons & amœnus
Circundant: ideo gramina sana uirent.

Ad eundem hexastichon.

Persacer Antistes pollens uirtute corusca,
Legibus atque sacris, quas mònet ipse Deus.
Dogmata pontificum pariter complecteris alta,
Rhomulidum quoq; tu ciuica iura tenes.
Ad te quapropter florens modo confugit omnis
Gallia, quam rectè nunc regis ipse sagax.

Ad eundem Tetrasticon.

Te iuuet altipotens ſemper, qui uoluit olympum,
Ac tibi Neſtoreos præbeat (oro) dies.
Qui regis heroas ſedeis celeberrime præſul
Nunc memor eſto mei, ſum tuus ipſe cliens.

Ad eundem Diſtichon.

Trado tibi noſtræ gratis exemplar opellæ:
Quæ canit aſtriferi cantica clara Dei.

AD CONSPICVVM ac excelſum D. Turnoñ. Frãciſcũ prę claris virtutibus cardineoq; galero refulgẽtẽ, cũ digniſſimũ aqtaniæ Ptimatẽ tũ maximũ Chriſtianiſſ. ꝓ rege i Lugd. Gallia gubernatorẽ ſapphica ſalutatio.

Dotibus pollens celebrande Præſul,
Det pius Soter tibimet ſalutem,
Te patris tandem rutilos ſupremi
Ducat in axeis.

Ad eundem Turnonia de analogia epigrammatum.

Laus, honor illuſtris uigeant Turnonis ubique,
Donec auebit apes paſcere fulua thymum.
Regibus à Francûm ualidis Turnonia proles
(Quò referunt nobis hiſtoriæ) orta fuit.
Subticeóque duces claros, comitesq; potentes,

Quos peperit Turnon nobilitate nitens.
Gallia cum grandi Troia sic condidit illam,
Propterea huic meritò gloria celsa datur.
Est etenim Diuis pariter celebrata duobus,
AEdes Lugduni quos modo sacra colit.
Cardineus flamen Franciscus nomine fertur,
Aurea qui fido lilia corde gerit.
Confouet is charitate inopes, querulosq; tuetur,
Qui pro se crebrò Numina summa rogant.
Floreat ut præclara domus Turnonia semper,
Vsque sui Titan stabit in axe Iouis.
Iam meritas laudes Turnonis de arce superba
Camperius solers amplius ille tulit.

Ad eundem Tetrastichon.

Persacer Antistes nostros modo sume labores,
Qui tunc christigenis commoda multa ferent.
Dein theos empyreus faustum tibi præbeat æuum,
Nunc memor esto mei, cum superisq; uale.

AD PERQVAM DIlertũ D. Bartholomæũ de luco doctorẽ sacræ paginæ R. epm Troiaceñ. ac meritissimũ Lug. & Vieñ. suffraganeũ humile Petri Busseroni epigrammatũ.

Dogmatibus Christi fulgens celeberrime Præsul,
Te dulces Musæ perdocuere nouem.

Eya age nunc nostras meditare parumper opellas,
Quas lusit calamo musula nostra rudi.
Hæc canit aduẽtum Christi sub carmine Sapphus,
Hæc canit ac lætum (quod tulit ille) ferum.
Hæc colit æternæ condignos uirginis hymnos:
Hæc colit immensi numina cuncta patris.
Non uti potuisse diserto carmine semper
Me scio, nec mitem tangere rite lyram.
In multis uariauit Apelles sæpe figuris.
Sæpius arte sua fallitur omnis homo.
Errores ideò (si qui sint) corrigat illos
Nunc tua scripturæ plena Minerua sacræ.
Vir celebrande tuum nomen Deus augeat altus:
Præbeat atque tibi diuitias & opes.
Vt miseris crebrò faueas sub nomine Iẽsu,
Qui uidet omne bonũ, qui scelus omne premit.
Ille sui tradet charum Genitoris olympum:
Si bene Pastor oues nunc regis ipse tuas.

BARTHOLOMAEVS de Luco Troiaceñ, Episcopus Lugduni & Viennæ Suffraganeus indigniss. D. Petro Bufferono tum arte medica, tum poëtica celebriori, S. P. D.

EXactum abs te opus fidei Christigenarũ splendoribus plenum (ut orasti) percurrimus, eò li-

bentius, quia pium etiam miro ſiue ſenſus artificio religioſum, de Pegaſeo monte illuc cogis, fabuloſo Orphei plectro neglecto ad orthodoxa Eccleſiæ cantica Muſas transferri. Hortor, ut quia cœpiſti pergas uia, primitias ſcilicet bonæ mentis illi offerre, à quo omne bonũ deſurſum uenit. Præſtat namq; ſemper magis animæ, quàm corporis triumphos canere, illius nempe & maximè per quem Reges regnant, & cui ſeruire uerè regnare eſt. Illud igitur opto, uel maximè Regem noſtrum benigniſſimum, & haud dubiè digniſsimum læta manu ſuſcipere: ut legendo probet quæ ſit Dei uoluntas, quò dum ſceptrum quotidie ab Ieſu Chriſto præſtitũ cognouerit, ei in timore rationem de uillicatione talenti crediti redditurus ſtudeat ei tanquam domino ſeruire humilius. Opto hoc faxit, ut per eundem Chriſtum regnet, & domus eius ſtabiliatur in æuum. Bene uale.

In eundem.

Legimus ò Vates feruenti corde poëma,
 Quod tua ſub uario carmine Muſa canit.
Muſa canit Domini aduẽtum, mortemque cruentã:
 Per quæ ſcandemus Patris in aſtra pij.

D·O·M·

LE DOVBLE DV PRIVILEIGE.

FRANCOYS par la grace de Dieu roy de France, au Preuost de Paris, Seneschal de Lyon, Bailly de Mascon, et a tous noz aultres iusticiers, & officiers, ou a leurs Lieuxtenans Salut. Receue auons lhumble supplication de nostre bien ayme maistre Pierre Busseron Medicin contenant que depuis quatre ou cinq ans il a applicque son temps, soing, scauoir, & estude a composer en carmes & prose ung liure intitule les heures sapphiques a la commemoration & louenge de nostre seigneur Iesuchrist, & aultres plusieurs deuotions, suffrages, & oraysons, lequel liure il feroit uolentiers imprimer & mettre en lumiere, & euidence, pour la commodite, & enhortemēt de deuotion a chescun bon catholique. Affin daulcunement se recompenser de ses peine

& uacations, mais il doubte que apres son impres= sion faicte aultres se uoulsissent ingerer dimprimer semblablement ledict liure sur icelle son impreßion au moyen de quoy il demeureroit frustre de pou= uoir recouurer les mises par luy faictes, si par nous ne luy estoit sur ce pourueu de nostre grace nous humblement requerãt icelle. Pource est il que nous ces choses considerees, desirans & uoulans les oeuures faictz & dedies a la louenge de nostre seigneur, & de sa glorieuse mere estre exposes a la commodite de noz subiectz pour le salut de leurs ames. Pour ces choses & aultres iustes & raisonna bles considerations a ce nous mouuans auons uoulu & ordonne, & audict suppliant permis & octroye, octroyons & permettons de grace especiale par ces presentes, que iusques au temps & terme de cinq ans prochainement uenans a commencer de la datte de la premiere impreßion acheuee quil fera dicelluy liure, que nulz aultres que icelluy suppliãt ou ayans pouuoyr de luy puissent imprimer ne faire imprimer, uendre ne distribuer en nostre Royaul= me ledict liure. Si mandons & commandons par ces mesmes presentes, & a chescun de uous sur ce requis que de nostre present grace, permißion, & octroy uous faictes, souffrez, & laissez ledict sup pliãt ioyr, & user pleinemẽt & paisiblemẽt pour le

temps & terme dessusdictz. Sans en celluy faire mettre ou donner, ne souffrir estre faict, mis ou donne aulcun trouble ou empeschement, ou contraire, lequel si fut mis, ou donne luy auoit este, ou estoyt, le mettez, ou faictes mettre incontinent et sans delay a pleyne deliurance, & au premier estat, & deu en faisant ou en faisant faire inhibitions & deffenses, de par nous sur certaines & grandes peines a nous a applicquer a tous libraires & aultres personnes quelzconques de non imprimer, ou faire imprimer, uendre ne distribuer ledict temps durant le liure dessusdict. Et sur peine de perdition desdictz liures quilz auroyent faict imprimer, dommaiges & interestz dudict suppliant. Et en cas doppositiion les dictes inhibitions & deffenses, de non imprimer uendre ycelluy liure tenans faictes aux parties rayson & iustice. Car ainsi nous plaist il estre faict, & audict suppliant lauons ainsi permis & octroye par cesdictez presentes, nonobstant quelzconques lettres a ce contraires mandons & commandons a tous noz iusticiers, officiers, & subiectz, que a uous & chescun de uous en ce faisant soit obey. Donne a Diion le premier iour de decembre, lan de grace mil cinq cens trente troys & de nostre regne le dixneufuiesme. par le Roy a uostre Relatiõ signe

De la Forest.

Autoris Distichon.

Non mihi, sed Christo sint nūc ac semper honores
Virgineæ Matri, cœlicolisque suis.

Hexametrum autoris argumentum.

Pegasides Musæ resonantia plectra cientes,
Quattuor in sapphus cithara hos cecinere libellos.
Mirificum astriferi primus dat Pignoris ortum.
Illius inde sequens fatum dispandit acerbum.
Monstra uafri septem Plutonis tertius edit.
Corde preces tandem superis fert quartus ouanti.

Sapphicæ de miro Soteris
Aduentu incipiuntur horæ.



Summe plaſmator dominans ubique
Nunc meis cœptis leuibus faueto,
Noſtra tu necnon aperi labella
Corde precamur.

Vt tuæ aduentum Sobolis serenum
Mente syncera breuiter canamus:
Eius & sacræ Genitricis amplas
Carmine laudes.
Doxa pio Patri, Nato, cum flamine diuo,
Qui sine principio degit, semperque triumphat.

Phalęcia antiphona.

Permitem Mariam Deum colentem.

Sapphica Ode prima.

Apolo missus Paranymphus alto
Dixit oranti Mariæ salutem:
Dotibus Virgo superis refulgens,
Suscipe uerbum.
Sicut est fuluo rutilans in auro
Charior gemmis placitis Pyropus:
Phœbus ac stellis ueluti uidetur
Clarior esse.
Quippe sic casto superas pudore
Virgines cunctas, igitur supernum
Numen in primis, meritòque digna
Ferre uideris.
Doxa pio Patri, Nato, cum Flamine diuo,
Qui sine principio degit, semperq; triumphat.

Phalęcia antiphona.

Permitem Mariam Deum colentem,

D·O·M·

Omnis gens humilis piè salutet.

Hortatiuus Gabrielis versus.

Patris habe Pignus castißima nympha potentis.

Responsum.

Ne maneant Patres tenebrato Ditis in orco.

Sapphica benedictio.

Aureis Pictor sapienter astris
Ille qui celsos uariauit axeis,
Nos beet, necnon benedicat eius
Dextera Nati.

Altera benedictio Heroica.

Diue Pater nobis iubeas benedicere Nato.

Responsum.

Qui cupit humanam cum Virgine sumere formã.

Consolabilis ad primos parentes in orco languẽtes, Lectio prima.

Conscij Patres tum naturæ, tum scripturæ legis obscurißimo in limborum carcere luentes uestra iure piacula, denique maximo cum desiderio præstolantes Iesum uenturum iucunda fronte unanimes nunc lætemini. Supernus etenim tam uisibilium, quàm inuisibilium rerum Procreator; atque

pariter immensæ totius clementiæ plenus pacifico in eius ſolio longæuos languores continuo præuidebat ueſtros. Propterea uelocem Paranymphum Gabrielem illibatæ Virgini confeſtim miſit: ut illa unicam eius Prolem luciferam, coæqualem, ſubſtātialem, ac demum diuino cum ſpiritu ſibi æternam hoſpitaretur: nec minus ſupernaturali partu uos inſtaurandi gratia pareret incompræhenſibilis tādem Pater, ac Deorum Deus impaſſibilis miſerere tuorum.

Gratias miteis agimus Potenti.

Adonicus verſus monitiuus.

Grande futurum
Patre nuenti
Pignus ab arce
Credite cuncti.

Heroa benedictio.

Alte iubeto Pater ſemper benedicere Proli.

Reſponſum.

Quam capiet purē ſyncerus uirginis aluus.

Exhortatoria verſutos in Iudæos Lectio ſecunda.

O Recutitam gentem peruicaci opinione cœlicum Meſsiam in dies falſò præſtolātem: quip=

pe qui celsa ab æde paterna Galilæam in aram nūc nunc missus est, ut uirgineæ tabernaculum puellæ fulgentis omni pudicitia queat inuenire. Incredula plebs ideò flagranti corde nūc resipito, ac euangelizationi Gabrielis firmam habeto fidem. Sic damnosos errores tuos, atque delirantem peruicaciam posthac ab animo prorsus expellito. Nationibus etenim cunctis te captiuam, te tributariam, liberosq; tuos peruicax opinio tua reddidit, ac reddet. Agedum stolidam mentem præpara, desere amentiam fallacibus sententijs imbutam. Conatu igitur omni ad hilarē salutiferumq; Christi aduentum te penitus nunc conflectito: quem quidem dubio procul militans Christigenarum chorus in dies piè decorat, atque celebrat. Si tādem fideliter audis, ac præcipis ea, quæ suauiter te moneo: ad immortalē uitam cum cœlicolis Iēsus te profectò uocitabit. Inexcogitabilis Pater miserere tuorum.

Gratias miteis agimus Potenti.

Alia peruicaceis in verpos hortatio adonica.

Nunc in Iēsum
Plebs recutita
Crede petentem
Virginis aulam.

Heroicus versus

Præcipe diue Pater nobis benedicere Nato.

Responsum.

Inclyta quam pariet Genitrix ullo absq; dolore.

Exhortatio in atroceis Turcas Lectio tertia.

O Perquam horribiles mahomatigenæ nec minus othomatigenæ, quid hisce temporum curriculis Christi lauacrum (sine quo saluus fieri ualebit nemo) non piè colitis seu sumitis? Quid uoluptuosa petulantis Sardanapali uestigia insequimini? Quid religiosos Christicolas furiosissimè torquetis, ac uiolenter occiditis prædando in horas eorum diuitias & opes? Hæc adeo flagitiosa finitote scelera, necnon huiuscemodi Mahomatigenas leges falsidicas omnino floccipēditote, atque penitus ab animo nunc expellitote, precor. Quoniam modico in tempòre Pontificius, Regalisque chorus Christicolarūm (uti præstolor) glomerabitur unanimis. Quippe qui Deo duce non solum crudeleis prouincias, & urbeis uestras, uerum cæteras quoque nationes infidas & imbutas uarijs erroribus in horas uos fallentibus euertet, eapropter lætiferam corporis & animæ perpetuam iure dabitis pœnā.

Vos igitur in mirificum Iesu aduentum (ne perui-cax Cacodæmon animas uestras illaqueet, & ar-denteis in Baratri amneis proijciat, corde & ani-mo nunc creditote, precor. Qui quidem clarifica in æde Patris eius (si fidem monitionibus meis ha-bere uolueritis) inter cæteros Cœlicolas uos collo cet, ac beet. Supernè Pater, nunc semper ac semper miserere tuorum.

Gratias miteis agimus Potenti.

Phalęcia in eosdem hortatio alia.

Plæbs Turcũm Machometiam fugato
Nunc legem Baratrum tibi parantem.

Sapphica pro nationibus infidis deprecatio.

Impias genteis moneas Creator,
In locis olim uarijs uaganteis
Vt tuam Prolem uenerentur altam
Voce fideli.

Sapphica & adonica Ode.

Te Pater chari Seraphĩn perorant
Semper in arce.
Te colunt Docti Cherubin serenum
Dogma canenteis.
Te Throni laudant Dominum canora
Voce potentem.

Te probant mitem Dominationes
Esse parentem.
Principes clari meritas amoenè
Dant tibi laudes.
Te Poteſtates decorant in Aſtris
Mente profunda.
Teque Virtutes hilarant uirorum
Corda regentes.
Semper octauus meditatur ordo
Te reuereri.
Te ſimul nonus ueneratur orbis
Cantibus altis.
Te chorus ſupplex hominum peralto
Corde precatur.
Te fretum, tellus, placidumque cœlum
Narrat ubique.
Te meis pauper numeris adoro
Noctæ, dicque.
Me bea tandem famulum Creator
Tempus in omne.

Ad Sapphicas de Christi Aduentu Laudes.



Summe Plaſmator dominans ubique,
Nunc meis cœptis leuibus faueto,
Vt tuæ prolis ualeam ſupernæ
Cudere laudes.

Doxa pio Patri, Nato, cum flamine diuo,
Qui sine principio degit, semperq; triumphat.

Adonica Antiphona.

Virginis almæ.

Sapphica de Christi aduentu Laudibus Ode.

IN sacrum sacræ thalamum puellæ
Cœlica Christus ueniens ab aula
Quippe laudatur superis ab altis
Omnibus horis.
Ardui cœli radijs micantes,
Signa, planetæ, uarij cometæ,
(Sub quibus degit genus omne) uentus
Signa dedere.
Sons Adam, necnon alij prophetæ,
Flaminis flatu Sobolem futuram,
Quamque laudarunt pariter Sibyllæ
Cantibus altis.
Doxa pio Patri, Nato, cum Flamine diuo,
Qui sine principio degit, semperq; triumphat.

Adonica Antiphona.

Virginis almæ
Religionem

Cuncta Polorum
Corpora laudant.

Pherecracia Antiphona.

Est laudanda beatis.

Sapphica Ode.

Dein nouem Musæ Puerum futurum,
Montium Nymphæ comitantur illas,
Fontium Nymphæ pariter sorores
Vndique laudant.
Fluminum Nymphæ liquidum decoræ,
Riuus ac omnis rediens in AEquor,
Inde syluarum Dryadesque laudant
Pignus olympi.
Omnis herbarum generis potestas,
Floreæ necnon alacres Napeæ,
Prolis aduentum celebrant lapilli,
Quos tenet aurum.
Quattuor cœcas elementa genteis
Messiæ aduentum celebris monebant:
Quattuor uenti celeresque laudant
Murmure miti.
Quattuor laudant Sobolem futuram
Nunc ab AEöo fluuij fluentes,
Inde tres magnæ resonant & oræ
Cantica Ventus.

Doxa pio Patri, Nato, cum Flamine diuo,
Qui sine principio degit, semperq; triumphat.

Pherec. & Phalę. aña.

Est laudanda beatis
Virgo cantibus alma,
Laudatur Galilæa Nympha iure.

Adonica Aña.

AEdis Iēsu.

Sapphica ode quarta.

QVattuor Scribæ Dominum colentes,
Sancta laudarunt documenta Ventus,
Nunc homo sanè capiens, amœnum
Quæret olympum.
Pontifex summus, pariter sequaces
In choro laudant hodię sonoro
Grandis aduentum Sobolis beatum
Voce peralta.
Inclyti Reges celebrem coronam,
Nec minus scæptrum rutilans ferentes,
In die Ventus capiunt Iēsum
Pectore terso.
Doxa pio patri. ut supra.

Adonica Aña.

AEdis Iēsu
Quæque columnæ

Christiparentem
Nunc uenerantur.

Adonica aña.

Virginis aluum.

Sapphica Ode.v.

Nobiles ueram Sobolem futuram,
Doctus, indoctus, Populus minorq́;
Spiritu laudant humili sub alma
Relligione.
Vir suo laudet uigilanter istum
Omnis aduentum residens in ente:
Quem per humano fuerit redemptus
Ipse cruore.
Nostra postremò tenuis Camœna
Patris æterni Sobolis supernæ
Cantat aduentum breuiter beatum
Hasce per horas.

Adonica aña.

Virginis aluum
Sponte serena
Gens pia laudet
Omnis ubique.

Pherecracia aña.

Cunctis cantet in oris.

Sapphica Ode.

ARtubus cunctis Senium uacillans
Laudat aduentum, pariter Senectus,
Atque pubertas, etiam Iuuenta
Sanguine feruens.
Cymbalum, necnon cytharæ decentes,
Organo miti lepidum melosq;
Propter aduentum Domini potentis
Cantica laudet.
Hinc chelys, plectrum fidibusq; culta,
Timpanum ligno feriatur amplo,
In Dei aduentum species & omnis
Musica cantet.
Doxa pio patri, Nato, cum Flamine diuo,
Qui sine principio degit, semperq; triumphat.

Pherecratia aña.

Cunctis cantet in oris
Nunc laudes Mariæ nitentis
Humanum genus omne.

Prosaicum capitellum.

SI tota superorum curia, si ueridicus uatum seu prophetarum cœtus, si diuiniloquarum chorus sibyllarū tam in lege naturæ, quàm scripturæ sublimis aduētum prolis narratu difficilem affatim lau=

LAVS HONOR SOLI DEO

darunt: & uera populo uaganti prædixerunt præsagia obest indicia. Nos ideò Christicolæ in cathalogo legis gratiæ uiuentes multomagis hilari fronte, totisque uiribus animi prorsus eundem laudare debemus. Gratias miteis agimus potenti.

Monitiuus Gabrielis versus.

AEtheream capies Prolē modò Nympha Tonātis.

Responsum.

Ne stygio posthac maneant in carcere Patres.

Heroica precatio.

Summipotens rerū laudetur ubique Creator,
Qui modò luciferam Prolem alto mittit ab axe:
Virginea ut speciem humanā nunc sumat in aluo,
Ab qua nempe nefas reparabitur acre parentum.
Nos igitur Christi aduentum laudamus ouanter,
Errantes dubiam labyrinthi huiusce per oram.
Hæc populos celsam fidos conducet in ædem,
Hæc dabit aßiduā requiē quoque semper in æuum.
Amen.

AD PRIMAM,

SVmme plasmator dominans ubique,
Nunc meis cœptis leuibus faueto,
Vt tuæ aduentum Sobolis serenum
Cudere poßim.

Doxa pio Patri, Nato, cum Flamine Diuo,
Qui sine principio degit, semperque triumphat.

Adonica Antipho na.

Sanctus Iōseph.

Sapphica ode.

Luce phœbea radios nitenteis
Virgo sublimis timuit repente,
Nuncij tandem meditans salutem
Mente profunda.
Pone (prædixit Gabriel) timorem,
Vnicam prolem capies potentem,
Ipsa quàm partu paries sereno
Hisce sub oris.
Arce de summa ueniens Iēsus,
In domo præclara Iācob uigebit:
Pignus hoc abs te celebri feretur
Momine tali.
Doxa pio Patri. ut supra.

Adonica aña.

Sanctus Iōseph
Stante Iuuenta,
Pectore casto
Duxerat almam
Ille puellam.

Prosaicum capitellum.

QVas altiloquus diuinæ Trinitatis orator præcinuerat suaueis sanequàm loquelas intra sese cogitabat, nec minus easdem dubiam in eius memoriã continuò reducebat perquàm humilis spõsa.

Gratias miteis agimus potenti.

Monitorius Gabrielis versus.

Sume (precor) Natum castißima uirgo supernũ.

Responsum.

Gaudeat ut pueri aduentu gens lapsa potentis.

Heroica precatio.

Almipotẽs miserere inopũ, & locupletibus (oro)
Vt fragili in sæclo ualeant hoc ducere uitam
Absq; Cain furiosi ullo liuore nefasto:
Ne menteis Dæmon mergat Phlegetõtis in undas:
At dabis immensos illis te orantibus axeis:
In quibus omne decus uiget, ac æterna potestas,
Quæ uiguit semper, semperq; uigebit ubiq;.
Amen.

AD TERTIAM.



SVmme Plasmator dominans ubique,
Nunc meis cœptis leuibus faueto,
Vt tuæ aduentum Sobolis serenum
Cudere possim.
Doxa pio Patri, Nato, cum flamine Diuo,
Qui sine principio degit, semperq; triumphat.

Phalęcia aña.

Hæc ſemper celebrabitur Propago.

Sapphica Ode.

ILlius Regnum fuerit perenne,
Cœlicas leges populos monebit:
Cæſari magno tribuetque iura
Mitis Ieſus.
Sedium poſthac superûm poteſtas
Omnium Nato dabitur ſecunda:
Virgo præfulgens ideò ſupernum
Accipe Verbum.
Nympha reſpondit ſapienter illi,
Dic ut hoc Verbum fieri ualebit?
Copias omneis penitus uirileis
Ipſa fugaui.
Doxa pio Patri, Nato, cum Flamine Diuo,
Qui ſine principio degit, ſemperq; triumphat.

Phalęcia añ a.

Hæc ſemper celebrabitur Propago
A` cunctis perauentibus tenere
Illius documenta corde forti.

Proſaicum capitellum.

ASſerebat Virgo Paleſtina ſeſe nõ ullis ſermonibus, non ulla uoluntate, nec actu uenereas

optasse copulas: teneris aũt ab unguiculis summo Plasmatori suo uirgineũ dedicasse corpus eiusdem.
Gratias miteis agimus Potenti.

Exhortatiuus Gabrielis versus.

Eya age Nympha Patris nũc iussa capesse superni.

Responsum.

Funifico ut Patres tunc egrediantur ab antro.

Heroa precatio.

Veripotens tutare tuos Deus omnibus horis,
Vt prece solicita, & dulci te corde rogamus:
Ne uoret insontes diri Mauortis alumna, (absit:
Macra fames procul hinc, morbus quoq; pestifer
At nos diuitijs tam animi, quàm corporis auge.
Amen.

AD SEXTAM.



SVmme Plasmator dominans ubique,
Nunc meis cœptis leuibus faueto,
Vt tuæ aduentum Sobolis serenum
Cudere poßim.
Doxa pio Patri, Nato, cum flamine Diuo,
Qui sine principio degit, semperq; triumphat.

Adonica aña Helisabeth.

O pia Virgo.

Sapphica ode Gabrielis ad Virginẽ.

Inquit humanis Gabriel loquelis,
Flamen ò Virgo ueniet super te,
Casta sic aluus fuerit peraucta
Prole superna.

Sapphica ode Virginis Gabrieli respondentis.

EN *Patris seruam minimam Potentis,*
Luce præclara, Paranymphe, pollens:
Hoc *uolo* Verbum, *cupio tenere*
Iussa paterna.
Doxa *pio patri,* Nato, *cum* Flamine Diuo,
Qui *sine principio degit, semperq; triumphat.*

Adonica aña Helisabeth ad Mariam.

O' *pia Virgo,*
Mater haberis
Nunc benedicta,
Virginitate
Tu muliebre
Ipsaque præfers
Nunc genus omne

Fructus & alui,
(Quem geris) ille
Est benedictus.

Prosaicum capitellum de virginis & Helisabeth visitatione.

Postea quàm sacrosancto de spiritu incompræhensibilē humanæ totius naturæ instauratorē mirificè cōcæperat Virgo: uisit illa (ueluti moris est fœminei) consanguineam Helisabeth in utero baiulantē ueridicum Christi præconem: qui quidē fœcunda in matrice ob sublimē totius humanæ naturæ Soterem futurum exhilaratus fuit.

Gratias miteis agimus Potenti.

Herous Gabrielis versus.

Es modò plena sacræ Prolis tu Virgo beata.

Responsum.

Quæ tunc captiuos redimet pietate parentes.

Heroica precatio.

Summipotens capies serui breue carmen ouantis,
Vt fuit intacta conceptum Pignus in aluo,
Visibileis, inuisibileis da robur in hosteis,
Ne nobis noceant celsum perauentibus axem.
Amen.

AD NONAM.



SVmme Plaſmator dominans ubique,
Nunc meis cœptis leuibus faueto,
Vt tuæ aduentum Sobolis ſerenum
Cudere poßim.
Doxa pio Patri, Nato, cum Flamine Diuo,
Qui ſine principio degit, ſemperq; triumphat.

Pherecracia aña.

Iamiam uenit in auras.

Sapphica ode de Gabrielis discessu.

Doctus orator repetens olympum,
Insit, ò Mater celebris ualeto.
Sic pia mansit comitata Prole
Virgo perennis.

Sapphica ode de Christi or tu, & de matris adoratione.

Post nouem menseis Sobolem beatam
Absque tunc ullo peperit dolore:
Vt prius Virgo fuerat, remansit
Patre uolenti.
Illa quem castè genuit Potentem
Mater infantem genibus reflexis,
Sic adorauit manibusque iunctis
Mente profunda.
Doxa pio Patri, Nato, cum Flamine Diuo,
Qui sine principio degit, semperq; triumphat.

Pherecracia antiphona.

Iamiam uenit in auras
Infans cœlicus hasce

Prosaicum pauperrimo de Iesu diuersorio.

Non imperiali, nec Regali in palatio pictis ornato aulæis, at in stabularia beluarum æde quàm maxima lucifer, & humilis ortus est uirginea pucr ab aluo.

Gratias miteis agimus Potenti.

Ad Christicolas pios heroicus versus.

Verbigenam Sobolem crebrò deuotus adoret.

Responsum.

Quæ fragileis populos fulgentia uerba docebit.

Heroica precatio.

Magnipotens entûm supra decus omne Deorum,
Luciferam sicut præclari lampada cœli,
Totius ac orbis peperit tua sponsa fidelis.
Difficileis caussas famulos nunc ipse moncto,
Diuitijs operumque tuarum semper egenteis:
Da Paradisiacas tandem quærentibus arceis.

Amen.

AD VESPERAS.

SVmme Plasmator dominans ubique,
Nunc meis cœptis leuibus faueto,
Vt tuæ aduentum Sobolis serenum
Pangere poßim.
Doxa pio Patri, Nato, cum Flamine Diuo,
Qui sine principio degit, semperq; triumphat.

Adonica añа.

Poplite flexo.

Sapphica Ode.

SEmper ingentī probitate ducta
In breui Natum stabulo ferarum
Sustulit panno tenui uolutum
Sedula Mater.
Post ei castas tribuit papillas
Mater imbutas niueo liquore:
Beluas inter posuitque Prolem
Basia dando.
Inde plus Phœbo roseo micantes
Angelos misit Genitor repente,
Qui nouo sacras Puero Camœnas
Voce dicabant.
Doxa pio Patri, Nato, cum Flamine Diuo,
Qui sine principio degit, semperq; triumphat.

Adonica aña.

Poplite flexo
Lentus Iēsum
Bos & assellus
Tunc coluerunt.

Prosaicum capitellum.

M*ortale genus tam admirabilem, tam deniq*ue *fœcundam natiuitatem præcordijs tuis firmiter affigito.*

Gratias miteis agimus Potenti.

Herous versiculus.

In tenui Regem *stabulo ueneramur amandum.*

Responsum.

C*onferat ut nobis hilarem peccantibus axem.*

Heroica precatio.

Charipotens cernas ueluti sine remige tuto
Per rapidū pelagus cymba undique fluctuat istud
Nostra: tuis igitur riuis det uela secundis
Nunc tua Progenies *recubans sub stramine pauco,*
Ne tetri Stygias Baratri *labatur in undas.*

Amen,

D·O·M·

AD COMPLEMENTVM.



SVnunc conuertas Dominator ipſum
Ad tui aduentum Pueri uenuſtum,
Vt queam nunenunc operi ſecundos
Tradere fines.

Doxa pio Patri, Nato, cum Flamine Diuo,
Qui ſine principio degit, ſemperq; triumphat.

Pherecracia antiphona.

Formoſum peradoret.

Sapphica Ode:

MVſicos folleis properanter inflant
Ore paſtores choreas agentes,
Inde cantabant hilareis camœnas
Voce per agros.
Corde laudatur Genitor ſupernus,
Qui nouam miſit Sobolem, canebant
Angeli, detur Puero perennis
Gloria celſo.



Sapphica Ode.

PRoin nouum ſydus radians in arce
Cœlicus Nati Genitor crearat:
Vt uiam Reges patulam tenerent
Tramite recto.
Tres Magi Reges uarijs ab oris

Thura, myrrham, aurum rutilans ferebant,
Quæ ſacro tandem Puero dicarunt
Corde ſereno.



Sapphica Ode.

Legis antiquæ Simeon ſacerdos
Diuus infantem coluit potentem,

Sæpius claris oculis uidere
Quem perauebat.
More iudæûm gladios acerbè
Sensit hic infans humilis cruentos:
Post dies octo recutita Proles
Sic fuit alma.
Doxa pio Patri, Nato, cum Flamine Diuo,
Qui sine principio degit, semperq́; triumphat.

Pherecracia aña.

Formosum peradoret
Natum quisque uiator.

Prosaicum capitellum.

Humano quidem pro genere lapso in scelus enorme purpureum cruorem secundum Mosaicos ritus effundere Puer æternus incæpit.
Gratias miteis agimus Potenti.

Heroicus versus.

Quisq; nouã propter Sobolẽ modò gaudeat ortã.

Responsum.

Quæ ueniã tribuet seruis orantibus amplè.

Heroa precatio.

Omnipotens nutu rutilum qui uoluis olympum,
Qui pelagus uastum, terram bonitate gubernas:

D·O·M·

Suſcipe primitias famuli pro munere paruo,
Quæ Chriſti celebrant aduentum carmine mirum:
Humanam carnem ueluti iam ſumpſit in aluo
Virginea, ſic pacificum nunc tradito fœdus
Regibus ingenuis, cum cœtu Chriſtigenarum,
Vt turcas animo forti bellentur in atros,
Qui cupiunt Chriſti ueracem perdere legem.
Sit procul à nobis tandem ſcelus omne proteruum:
Te duce quo fidum ualeamus cernere Natum.
Amen.

AVTORIS
Elegiac. Epigram.

Nympha Patris ſummi ſalue decorata per orbem,
Cœlica quam meritò curia tota colit.
Pectore læta tuo rutilantem es cernere Natum,
Quem peperit fulgens aluus in orbe tua.
Hic genus humanum cupit inſtaurare ſceleſtum,
Hic erit alma ſalus, hic erit alta fides.
Propterea collaudat te chorus aliger omnis:
Mens hominum ſupplex te rogat ore pio.

Salue iterum Genitrix diuæ castißima Prolis,
Quam prece solicita, nocte, die que precor.
Tu sidus placidum es cœlis, quod temperat orbem,
Tum uada, tum uentos, flammiferumque iubar.
Dotibus omnimodis præfulges Virgo pudica,
Vota, preces famuli suscipe (quæso) tui.
Suscipe Virgo preces, nostrò succurre labori:
Sit mihi præsidium nunc tuus altus amor.
Tu super omne genus Virgo muliebre triumphas:
Virgineos omneis tu superasq; choros.
Clarior es Phœbo, stellis, rutilante pyropo:
Nunc igitur radijs crimina pelle tuis.
Sis Virgo semper mihi consolatio præsens,
Sis mea conductrix, sis mea tuta salus.
Ne me falsus iniquo accuset crimine testis,
Corpus ut hoc nostrum nulla pericla ferat.
sanguinei placa Martis rapidum ipsa furorem:
Proin scelus omne fuga, letiferanque famem.
Christicolas omneis conserua, nec minus urbeis
Protege, sic humileis cernito ubique locos.
Omnibus ægrotis hilarem concede medelam,
Quos ego præ manibus ipse tenebo meis.
Hinc animæ putridas nostræ depellito sordeis,
Sic & eam doteis rite moneto sacras.
Ne rapidos furiæ mergant Phlegetontis in undas:
Nec trahat in laqueos Dis uitiosus eam.

Eius in egreſſu tunc eſto (precamur) aſylum,
Denique tunc ipſi da ſuper aſtra locos.
Vt Pignus(quod olympũ ſuſtinet absque labore)
Dulce tuum miti cernere mente uelit.
Poſt inter ſuperos illi det Regna beatos,
In quibus exiſtit nunc Patris omne decus.
Quem peto Diua Parẽs potis es præbere fauorem,
Athe̜ream Prolem ſæpe rogando tuam.
Carmẽ ouãter habe modò, quod pro munere paruo
Virgo tibi ſupplex muſula noſtra dicat.
Amen.

HACTENVS SALVTIFERA DE CHRISTI NATIVITA TE, NVNC IPSIVS PASSIO NIS FLAGITIOSAS HO RAS INCI PIMVS.



SVmme Plaſmator dominans ubique,
Nunc meis cœptis leuibus faueto,
Noſtra tu necnon aperi labella
Corde precamur.
Huc ades (quæſo) Soboles ſuperna,
Quo tuos grandes repetant dolores,

Quos piè lapſos redimendo patres,
Paſſa fuiſti.
Doxa pio Patri, Nato, cum Flamine Diuo,
Qui ſine principio degit, ſine fine triumphat.

Sapphica aña.

Chriſtus ad cœnam pietate motus
Corde tyrones ſubitò uocauit:
Vt ſimul cuncti facerent ouanter
Paſcha beatum.

Pherecratia Antiphona.

Tota mente profunda.

Sapphica & adonica paſſionis Ieſu Ode prima.

Chriſtms hinc agno penitus comeſto
Tunc pedes ſeruis properè lauauit,
Rurſus ad menſam rediјt ſecundam,
Atque clientes.
Quem ſacro, panem ualeatis eſſe,
Quod ſacro, uinum pariter bibatis:
Carne pro noſtra capietis illum
Corde miniſtri.
Qui meum dulcem biberit cruorem,
Noſtra qui ſanctè documenta ſumet,
Ille uir claro fuerit beatus
In Paradiſo.

Doxa pio Patri &c.

Pherecracia aña.

Tota mente profunda
Hoc ſemper teneamus,
Quod nos edocet omneis
Chriſtus dogma perenne.

Adonica aña.

Oret Ieſum.

Sapphica Ode Paſſionis ſecunda.

PRoditor ſæuos adijt magiſtros,
Quot (refert) nummos numerare uultis:
Si meum uobis tribuo Prôpheten
Arte ſagaci.
Ditis enormes furiæ ſorores
Tunc ſacerdotes monuere diros,
Vt poli grandem Dominum maligna
Morte necarent.
Sume, triginta rabidi ferebant
Satrapæ nummos: rapuit proteruus
Floridum tetras properè Phalanges
Duxit in hortum.
Doxa pio Patri, Nato, cum Flamine Diuo,
Qui ſine principio degit, ſemperq; triumphat.

Adonica aña.

Oret Iësum
Pectore toto
Quisque fidelis.

Phalæcia aña.

Cum Christo uigilemus in precando.

Sapphica Ode tertia.

Christus halanti lachrymans in horto
Mitis orabat genibus reflexis
Cœlicum Patrem manibusq; iunctis
Cum prece magna.
Quem uirum uos nunc petitis cohortes
Christus effatus? uolumus Prophetam
Inquiunt, leges populum docentem,
Qui loquor adsum.
Turba Iudæûm properè labauit
In solum uernans: iterum locutus
Est piè Christus: subitò Prophetam
Turma ligauit.
Hos (refert Christus) sinito ministros:
Traxit a theca citò Petrus ensem,
Postea Malcho properè maligno
Abstulit aurem.

Petre (fert Christus) gladium morator,
Ense qui truncat, morietur ense,
Noster hæc mandat Genitor supernus,
Hæc ita mando.
Post fuit raptus uiolenter ante
Solis auroram Dominus corusci:
Quem reliquerunt timidi clientes
Corde trementi.
Doxa pio Patri, Nato, cum Flamine Diuo,
Qui sine principio degit, semperq; triumphat.

Phalæcia aña.

Cum Christo uigilemus in precando,
Prælapsos reparabit ipse Patres.

Elegiacus versus.

Iudæi Christum fune tenere iubent.

Responsum.

Post fuit ex horto tractus oliuifero.

Pherecratia benedictio.

Qui sub gente feroci
Tormentum patietur
Non æquè uiolentum,
Is nobis benedicat.

Altera bñdictio heroica.

Diue Pater uincto iubeas benedicere Nato,
Quem modò crudelis cōtorquet turma luporum.

Prima in perquam nefastum Christi proditorem lectio.

CVr adèo truculente Iuda tam perexiguo ære, tamque uili precio insontem, & optimū doctorem disciplinarum omnium crudeliter uendidisti tuum? Cur nocturno tēpore furiosos edaciū Iudæorumque & pharisæorum satellites armis, et etiam laternis fallacibus frugiferum in Oliuetum clam conduxisti? Cur denique mirum in modum salutifero medicorum medico, ac legum sanctarum Cōditori insidiosum callidißimè tradidisti osculū? Is etenim absq; hærbarū lapidūq; uirtutibus, absq; pharmacopolarū medicaminibus ullis, at unico nutu, diuinoq; uerbo ægrotos scilicet gibbosos, loripedes, cæcos, paralyticos, arthèticos, chiragricos, sciaticos, podagricos, dæmoniacos, febricitanteis, leprosos, & omneis quocunque morborum genere laboranteis (quorum munerus difficilis narratu foret) mirificè sanabat: uerùm instaurabat quoque cadauera in sarcophagis diu fœtentia. Quæ quidē canimus, hæc præ oculis tuis in dies dubio procul agebat: & tu insatiabili auaricia perfusus tā salutiferum non cognosti Physicum. Tu postremò te=

ipsum sine firmißima spe lætifero furiosè suspendi sti laqueo. Quapropter animam desperabundam fugientem disrupta per ilia irremeabile in Barathrum iure transtulit damnatus Sathanas. Abs quo misericors Pater nos Christicolas nunc & semper libera, denique miserere tuorum.

Gratias miteis agimus Potenti.

Pherecracium responsum.

Iudæis sub acerbis
Vexabatur Iēsus.

Heroa benedictio:

Alte Pater captæ iubeas benedicere Proli,
Quæ nunc ab rabidis durè torquetur Apellis.

Secunda in tetricam Iudæorum sectam lectiuncula.

PErquàm sacrilega uerporũ Caterua pietate carens omni parũper enarrato, quis rapidus furor? quæ flagitiosa te cœpit dementia? quæ rabies phrenetica cerebrũ modò cõprimit tuũ? Dicito qua ratione tã uiolẽtas manus in omnipotètem filiũ, & hominem sapientiæ omnis plenum inijcere crudeliter ausa fuisti? Ille profectò incõpræhensibilis rerum, atque uirtutum etiam omniũ Procreator, &

typus non iniuria prædicatur esse. Verùmenimuerò famelicos tam spiritalibus, quàm corporeis donis pié fouebat, & adhuc fouet: tum uiduas, tum inopes, tum adolescentulos parentibus orbatos solabatur & adhuc solatur: necnon generósás doteis teipsam, cæterasque nationes perfidas edocebat, & adhuc edocet. Tu uerò peringrata pro tantis, & talibus beneficiis Iesum insontem (uelut prædones in nemoribus uiatores sæpe deuorant) trucidare uiolẽter ob edacem liuorem tuum tibi exploratũ est: sed nefas remanebit impunitum minimè. Quatinus perpetuas ardente in Erebo iure patiaris pœnas. Sic innocuus & ueridicus homo peramaram captionem primis pro parẽtibus lapsis suauiter cõtulit, & adhuc ultra modum tormenta cum morte crudeli patietur innumerabilia. Postremò Pater impaßbilis miserere tuorum.

Gratias miteis aginus Potenti.

Adonicum responsum.

Acris Iẽsum
Turma Potentem
Fune ligatum
Ducit in arcem
Nunc Solymarum.

Heroica benedictio.

Summe Pater charo iubeas benedicere Christo,
Sanguine qui primos auet instaurare parentes.

TERTIA QVERVlosam ad Iesu Matrē, ac æquissimam Iustitiam colloquentes lectiuncula.

Lachrymosa mater egoipsa quonam gressus nunc meos conducam, nescio: cui peramaros dolores enucleare debeā, me præterit. Verùm enimuerò ante me uidere nunc uideor dominam quādā præ se ferentem seueram grauitatem: alloquar eā ne? alloquar equidem. Si fortè ualebit me charissimam Prolem meam docere: ò sublimis domina mihi parūper fare, precamur: quo nomine uocaris? ferto.

Iustitia loquitur.

Profectò æquissima & fortis appellor Iustitia.

Pia Mater.

Felix oppidóquam aduentus, te prorsus exoro, atque rogito, ut me cōsolari nunc uelis.

Iustitia.

Solabor equidem te totis uiribus, si tamen res æqua postulat, sed quid rei à me petis? dicito.

Pia Mater.

Vnicam, & perennem Propaginem meam abs te quæro.

Iuſtitia.

Qui nuncupatur illa?

Pia Mater.

Ieſus Chriſtus habetur.

Iuſtitia.

Nimirum Chriſtus ubi nunc eſt, præſcio.

Pia Mater.

Dic precor, ubinam eſt?

Iuſtitia.

AEternam Prolem tuam uoracibus cum lupis inuenies.

Pia Mater.

Quonam filius inſons iter cõuertit ſuum?

Iuſtitia.

It quãplurima certè uerbera paſſum nefanda.

Pia Mater.

Quis eum comitatur modò?

Iuſtitia.

Nemo quidē præter atroces Iudæorum carnifices, sub quibus opprobria mille, mille cõtumelias, mille itidem nugas innumerabilibus cum tormentis piè sustinebit: his etenim peractis, à præside nequam in caluariæ montem enorme patibulum ferre damnabitur: super quo inter flagitiosos prædones ignominiosam mortem patietur.

Pia Mater.

Hem tantane, taliaque pericula quiret effugere?

Iustitia.

Nullo ualebit modo.

Pia Mater.

Cur ita fieri debent?

Iustitia.

Sic etenim Patri suo mors complacet talis, ut primi Parentes, ac eorum palmites ab æterna Propagine tua instaurentur. Vale.

Pia Mater.

Superna fiat uoluntas, quàm clementissime Pater omnium supplicis ancillæ memor semper esto, precor, ac miserere tuorum.

Gratias miteis agimus Potenti.

Adonicum responsum.

Mitis Iēsus

Semper ubique
Nos beet omneis.

Pherecraciũ, & adonicum canticũ.

TE Christum celebramus
Inter acerbos.
Te Christum peramamus
Corde profundo.
Te Christum ueneramur,
Multa ferentem.
Te Christum meditamur
Omnibus horis.
Te Christum uocitamus
Monstra piantem.
Dum letum patieris
Plæbe sub atra.
Te Christum comitari
Nullus auebit,
Ni Mater querulosa
Plena dolorum,
Ni quoddam muliebre
Flens genus amplè,
Ni tantum duo fures
Nique tyranni,
Qui te perlacerabunt
In cruce dura.
Occasum petis atrum

Ipse redemptor.
Humanum genus optat
Illud ouanter.
Horas hasce canenti
Parcito Christe:
Vt tandem repetamus
Regna paterna. Amen.
Doxa pio Patri, Nato, cum Flamine Diuo,
Qui sine principioq; degit, sine fine triumphat.

AD SAPPHICAS peracerbæ mortis Iesu laudes.

SVmme Plasmator dominans ubique,
Adiuua crebrò famulum canentem
Nunc tuæ passos Sobolis dolores
Plæbe sub atra.
Doxa pio Patri, Nato, cum Flamine Diuo,
Qui sine principio degit, semperq; triumphat.

Pherecratiã añ:

Humanum genus insit.

Prima Ode sapphica in laudibus.

Ecce Naturam Domino querentem,
Eius ut Natus moriatur insons:
Ne Patres posthac maneant in orco
Ditis acerbi.
Legis humanæ Patriarcha primus,
Quem Noë, necnon Abraham sequuntur,
Ad sacrum Sijon Iäcob profectus
Hæc simul ædunt.
Christe pro nobis patiere multa,
Iam tuum uates cecinere letum,
Quod scelus nostrum reparabit olim
Pro charitate.
Doxa pio Patri, Nato, cum Flamine Diuo,
Qui sine principio degit, semperq; triumphat.

Pherecracia aña cum adonico.

Humanum genus infit,
Sunt tibi Christe
Haud fugienda
Iussa parentis.

Pherecracia aña.

O mortem peramaram.

Sapphica ode.

Lege sub scripta celebres Prophetæ

Quattuor durum docuere fatum
Prolis æternæ fugientis illud
Robore magno.
Gratiæ legis calamo periti
Quattuor ſcribæ documēta fantes,
Approbant mortem Domini potētis
Eſſe beatam.
Chriſtus appellat, Genitrixq; chara
A` tribus ſectis modò prælocutis:
Ambo ſunt paſſi penitus repulſam
Patre uolenti.
Doxa pio Patri.ut ſupra.

Pherecracia aña

O`mortem peramaram,
Quam Chriſtus patietur.

Adonica aña.

Pro pietate.

Sapphica Ode:

CHriſte nunc omnes animæ Parentum
Hanc necem laudant, pariterque magnas
Nunc Patri grates peragūt ſuperno
Cuncta regenti.
Fertilis tellus, elementa cuncta,
Sic tuos laudant miſeros dolores,
Quos tuum corpus patietur altum

Plæbe ſub acri.
Turma Tyronum gradiens per orbem,
Tunc tuæ morti benedicet alma,
Ac eam certè Populum uagantem
Corde monebit.
Doxa pio Patri, Nato, cum Flamine Diuo,
Qui ſine principio degit, ſemperq; triumphat.

Adonica & phalæcia aña.

Pro pietate
Chriſte perenni
Fas eſt, ut redimas genus ſceleſtum.

Adonica antiphona.

Gens rea laudat.

Sapphica Ode.

SVmmus Antiſtes, pariter ſequela
Mente laudabunt uarios dolores
Chriſte, quos olim patieris acrem
Ante cohortem.
Maximi Reges Populum regentes,
Inclyti necnon Proceres nefandum
Funus, ac tandem famuli minores
Pectore laudent.
Ruſticæ cantent hominum cateruæ

Hanc necem cantu uario ferocem:
Nostra quam cudit tenuis Camœna
Hasce per horas.
Doxa pio Patri, Nato, cum Flamine Diuo,
Qui sine principio degit, semperq; triumphat.

Adonica antiphona.

Gens rea laudat
Verbera dura,
Quæ patietur
Plæbe sub atra
Filius insons.

Prosaicum capitellum.

IN Solymis nũc adest salutifer Iesus ueluti persuauis agnus uoracibus ab lupis raptus, ac ductus uiolenter ante rabidos sacerdotes edaci liuore perfusos.

Gratias miteis agimus Potenti.

Pherecracius versiculus.

Tunc quærebat Iesum
Mater mœsta ligatum.

Elegiaca precatio.

Hic elegas tribuo nunc tibi Christe preces,
Laudetur nostra Numen ab arte tuum:

Te modò contorquet longa caterua ferox,
Te modò iudæos comprimit ante lupos,
Qui te percupiunt morte necare truci.
Hoc eſt pro primo nempe Parente graui,
Cui reddes uitam Patris in arce tui. Amen.

AD PRIMAM.

Summe Plaſmator dominans ubiq;,
Adiuua crebrò ſamulũ canentẽ,
Nunc tuæ paſſos Sobolis dolores
Gente ſub atra.
Doxa pio Patri, Nato, cum Fla=
mine Diuo,
Qui ſine principio degit, ſine fine triumphat.

Pherecracia Aña.

Haud conſtans ter Iēſum

Sapphica Ode.

PRimitus clemens Soboles ad Annam
Ducta peruerſis fuerat tyrannis:
Fatur hinc Annas Domino Potenti
Ore feroci.
Quid nouæ legis documenta condis?
Quid uelut Reges glomeras miniſtros?
Rite reſpondit Dominus diſerta
Voce tyranno.

Propalam genteis animo malignas
Ipse uirtutes docui perenneis,
Vt nefas totum fugerent profanum
Nocte, dieque.
Doxa pio Patri, Nato, cum Flamine Diuo,
Qui sine principio degit, sine fine triumphat.

Sapphica Ode.

Sic uidens Annas Dominum loquentem,
Tunc fuit grandi stomachatus ira:
Inscio uati Cayphæ Prophetam
Ille remisit.
Affuit Christus, Caiphas profatur,
Vt mihi testes cecinere multi,
Te facis Mundi Dominum potentem
Cum Deitate.
Obrues ædem domini repente
Nunc perexcelsam manibus paratam,
Luce sub trina reparabis illam
Patre nuenti.
Doxa pio Patri, Nato, cum Flamine Diuo,
Qui sine principio degit, sine fine triumphat.

Sapphica Ode.

PRæuidens Chriſtum Caiphas tacentem,
Inquit: effari Iubeo tibimet
Per Deum uiuum ſuperos regentem,
Si Deus adſis.
Ipſe dixiſti, Soboles profectò
Cœlici uerax habeor parentis:
Pallium ſcindens Cayphas uocauit
Ille Cohortes.
Iſte blaſphemat, properè Phalanges
Aſperis pœnam luat hic flagellis:
Iudicet præſes, uideatq; Chriſtum
Vt moriatur.
Doxa pio Patri, Nato, cum Flamine Diuo,
Qui ſine principio degit, ſine fine triumphat.

Pherecracia aña.

Non conſtans ter Ieſum
In diri ædibus Annæ
Petrus quippe negauit.

Proſaicum capitellum.

VErumenimuerò furibundis ſacerdotibus ueridicum eſſe Meßiam ſeipſum Chriſtus aſſerebat : cui Caiphas anni illius Antiſtes cæterique Iudæi , & phariſei edaci liuore

imbuti truculenter imperarunt, ut super exedram ueluti Rex maximus confestim sederet. Deinceps fœtentibus pannis præclaros Iesu oculos cernentes omnia uerpi crudeles uelarunt. Insuper flauam uellicantes barbam fœtida sputa, tum saniosas narium stirias in rosaceam ipsius faciem proijciebāt, ac colaphis seu alapis rudibus quàm formosißima capitis tempora uoce raucisona cædebant, sic ululantes, heus heus uaticinare modò, quis nostrum te colaphizauit? His etenim uerberibus actis, toto tēpore nocturno quàm plurimum fessæ cohortes fuerunt, eapropter sub coruscam solis auroram sopire seu dormire perauebant. Attamen prius uinctis ambabus retrorsum manibus in cataractā coquinæ quandam cœnum omne gurgitātem (ut legitur) Iesum ad Primam usque obtruserunt.

Gratias miteis agimus Potenti.

Elegiacus uersus.

Luciferum Vatem fœda cauerna tenet:
Qui genus humanum ducet in astra Patris.

Elegiaca precatio.

Te precor in tristi carcere Christe iacens,
Vt libeat nostras flectere rite uias:
Ne nos liuor edax deuoret ore truci,

Ob quem animo dulci crimina nostra luis.

AD TERTIAM.

SVmme Plasmator dominans ubique,
Adiuua crebrò famulum canentem
Nunc tuæ passos Sobolis dolores
Gente sub atra.
Doxa pio Patri, Nato, cum Flamine Diuo,
Qui sine principio degit, semperq; triumphat.

Pherecracia aña.

Ducta est ante Pylatum,

Sapphica ode.

PRæsidi tristes referant Tyranni,
Præsules nostri penitus precantur,
Hunc ut edamnes hominem Pylate
Morte cruenta.
Vidit ut iudex celebrem Prophetam,
Infit, ædatis quid habet reatus?
Ni feret culpam minimé uideres

Ipse ligatum.
Mosis hic legem renuit secundam,
Cæsari nostro prohibetque iura:
Se facit Regem pariter Potentem
Hic super omneis.
Non fidem Iudex habuit Tyrannis,
Is quidem falsos homines sciebat,
Christe prædicas mihimet Pilato
Rex Potis an sis?
Ipse dixisti, quia Rex ego sum,
Haud quidem mundum fragilem peropto,
Ast Patris Regnum placida uigentis
Semper in arce.
Iste Iudæis retulit Senator
Non scelus fecit, ueluti refertis:
Morte non dignum uideo Propheten
Iure probanti.
Moris est quendam retinere furem
Paschatis festo: capietis ipsi
Conscium furti miserum Barabbam,
Sicut habetur.
Linque (Iudæi referunt) Barabbam,
At cruci detur subito Propheta,
Se facit Regem Galilæus iste,
Dat quoque leges.
Quum sacer Christus Galilæus esset,

Tunc ad Herodem properè remisit
Præses, ut Christum uideat, uidere
Quem perauebat.
Doxa pio Patri, Nato, cum Flamine Diuo,
Qui sine principio degit, semperq; triumphat.

Sapphica Ode.

INsit Herodes, Galilæus es ne?
Christe quid tu non loqueris parumper?
Gesta nunc quædam facito loquenti
Prnicipe coram.
Protulit nullas Dominus loquelas,
Rex ob id Regem stolidum putarat:
Induens alba tunica Propheten
Ille remisit.
Tunc sacerdotes rabidi ferebant:
Rursus hunc Christum teneat Pilatus,
Vt cruci detur uiolenter atræ
Hisce sub oris.
Ipse quid Præses faciam, feramue?
Rex nec Herodes, nec ego uidemus
Horridum certè meruisse letum
Iure probanti.
Exuunt Christum chlamydem Cohortes
Præsidis iussu, rapuit columna:

Scuticis illum rudibus flagellant
Absque timore.
Inde uelarunt oculos Prophetæ:
Atque spinosa tenerum corona
Regis æterni cerebrum penetrant
Iudice coram.
In loco sceptri uiridemque palmam
Impij dextræ manui dederunt:
Rex aue flexis genibus canebant
Ludificando.
Eius in pulchram faciem spuebant:
Quamque cædebant colaphis loquendo,
Te sacer quis nunc tetigit Propheta,
Vaticinare.
Pontius diris loquitur ministris:
Vir foras supplex eat ante plæbem,
En homo durè laceratus omnis
Sub prece uestra.
Doxa pio patri, Nato, cum Flamine Diuo,
Qui sine principio degit, semperq; triumphat.

Sapphica Ode.

TVrma Iudeûm furibunda clamans,
Is cruci detur, moriatur inde:
Si uelis magni decorare iura
Cæsaris alta.

Præses hunc uobis Dominum resigno:
Hunc cruci Regem dederone uestrum?
Sat fuit cæsus ueluti uidetis
Iste flagellis.
Cæsarem præter super hosce fines
Quempiam Regem minimè tenemus:
Semper huic ergo famulus fidelis
Esto, precamur.
Talibus uerbis timuit relatis,
Sede ne Cæsar profugaret ipsum,
Ille conscendit temerè tribunal
Præses iniquus.
Post manus ambas uoluit lauare,
Sic ferens, insons egomet Pilatus
sum super sacro Domini cruore,
Hæc ita testor.
Pontius Iudex ego sum profectus
Cæsaris magni Solymas ad hasce:
Quas rego, sic hoc teneo tribunal
Imperiale.
Christe seductor populi per orbem
Te cruci damno penitus cruentæ,
Quam super letum patieris atrum
Sub prece gentis.
Doxa pio Patri, Nato, cum Flamine Diuo,
Qui sine principio degit, semperq; triumphat.

Pherecracia Antiphona.

Ducta est ante Pylatum
Nunc æterna propago:
Quam damnauit auarus
Iudex mortis acerbæ.

Prosaicum pro iudicibus capitellũ.

O Tam Põtificales quàm Regij iudices uestras ad aureis hic sermo conflectitur: & præcipuè quando peroptatis uestras immortaleis animas beare, conemini (rogo) longè Pilato æquiores fore. Non falsis in iudicando testibus habetote fidem: nõ aurum, nõ argentum, non uxores uestræ donorum cupidæ uos fallant: non petulans amor uos illaqueet, non blanda & seruilis adulatio, non longæuum et inexpiabile odium uos inficiat: non tumidæ potentum minæ uos terreant: nec adeò frigidus timor amittendi iudicialem prouinciam, sentẽtias in quempiam ferre fraudulẽter incitet: nec demũ uos remoretur affinitas. Talia etenim fores aliquando legaleis ab recto cardine fugãt & frangũt. Vos igitur disertißimi iudices corde & animo suasiones nostras (precor) æmulemini. Hæc agendo poteritis unicuique iura tribuere. Supernus eapropter

Iudex atq; præsidum Præses dubio procul immortalem ac hilarem uitam beatis cum superis animæ concedet uestræ.

Gratias miteis agimus Potenti.

Phalæcij versus.

post uerpi rapiunt truces Iesum.

Responsum.

Ponentes humeris crucem profanam,

Elegiaca precatio.

Ad te confugimus nos modò Christe rei,
Ne nos accuset Persephone rapida
Criminibus coram iudice pertetrico.
Legiferum (quæso) nunc moderare forum.
Errores nostros nunc moderare graueis,
Bella hominum tandem nunc moderare fera,
Pacificè ut uiuat te duce cunctus homo.

❧AD SEXTAM.

SVmme Plaſmator dominans ubi=
que,
Adiuua crebrò famulum canen=
tem,
Nunc tuæ paſſos Sobolis dolores
Gente ſub acri.
Doxa pio Patri, Nato, cũm Flamine Diuo,
Qui ſine principio degit, ſemperq; triumphat.

Adonica aña.

Ducitur inſons.

Sapphica Ode.

OB famem Chriſtus ſitiebat atram,
Ob crucem latam pariter mouere,
Tunc pedes nudos ſubitò nequibat
Corpore læſo.
Plena diuino Genitrix amore
Filium cernens humeris gerentem
Pergrauem furcam, uoluit fauere
Ipſa labori.
Hoc uidens, unus Mariam Tyrannus
Inclytam matrem colapho cecidit,

Propter id uisum properè malignus
Perdidit ille.
Doxa pio Patri, Nato, cum Flamine Diuo,
Qui ſine principio degit, ſine fine triumphat.

Sapphica Ode.

ILlico ut greſſus facerent cohortes,
Tunc Cyrenæum rapiunt Simona,
Rure qui quodam ueniebat olim
Tempore uerno.
Vt crucem retro ueheret ferocem,
Ferre quam cæſus Dominus nequibat:
Poſtea flebant pueri, puellæ,
Ac genitrices.
Chriſtus (effatur) pietate motus,
Non meos matres miſeros dolores
Flete: ſed fiant gemitus ſuper uos,
Et ſuper Vrbem.
Heu dies poſthac uenient cruenti,
In quibus uenter ſterilis ſecundus
Eſſe dicetur, retulit Propheta
Patre uolenti.
Doxa pio Patri, Nato, cum Flamine Diuo,
Qui ſine principio degit, ſine fine triumphat.

Sapphica Ode.

A' loco fati capitur Propheta,
Exuunt ipſum tunica Phalanges,
Poſt cruci figunt Domini lacertos
Cuſpide ferri.
Funibus Chriſtum rigidis trahebat,
Cum procul ſtabat pedibus foramen,
Quos ſimul clauo penetrauit acri
Turba tyrannûm.
Doxa pio Patri, Nato, cum Flamine Diuo,
Qui ſine principio degit, ſine fine triumphat.

Adonica antiphona.

Ducitur inſons
In loca fati
A' furibundis
Pignus olympi.

Proſaicum de lachrymoſa Matre Ieſu capitellum.

O' Me triſtem, ô me gemebundam, non iniuria quum chariſſimam propaginem meam in Caluariæ mõtem perquàm execrabili patibulo affixam nunc uideo. Nunc nunc in memoriam diuine fili ueridicam Simeonis Antiſtitis Prophetiam reduco: quàm quidem in circunciſione tua mihi apertè præcinuerat ipſi.

Gratias miteis agimus Potenti.

D·O·M·

Phalæcium carmen.

Fregerunt tunicam Dei *Phalanges.*

Reſponſum.

Luſerunt tunicam aleiſque, ſorte.

Elegiaca precatio.

Brachia fixa cruci ſunt, teneriq́; pedes
Chriſte tui languens, te precor ipſe miſer,
Vt mihi des ueniam Patre *uolente tuo.*
Sic famulos doceas, ne baratrum uideant,
Cælica quò poſſint ſcandere regna precor.
Amen.

AD NONAM.

Vmme Plaſmator *dominās ubiq́;,*
Adiuua crebrò famulum canentem
Nunc tuæ paſſos ſobolis dolores
Gente ſub atra.
Doxa *pio* Patri, Nato, *cum* Flamine *Diuo,*
Qui ſine principio degit, ſemperq́; triumphat.

Elegiaca Antiphona.

Expa*ſſam* Sobolem *crux premit atra piam.*

Sapphica Ode.

Posteà uerpi rabidi leuantes
Patris æterni Sobolem cruentam:
Turba Iudæûm ruditus agebat
More ferarum.
Illa dicebat, properè leuetur
Ista crux, hinc ne fugiat Propheta,
Sed duos inter miseros latrones
Nunc moriatur.
Talibus demùm uitijs peractis,
Flectit in Natum madidos ocellos
Mater, ac tristeis retulit loquellas
Ob pietatem.
Fare nunc Matri soboles cruenta,
Fare nunc Matri miseræ parumper,
Fare nunc Matri uiolata Proles
In cruce dura.

Sapphica Ode de Iesu Matrē piam, & Ioannem alloquenti.

Filius Matri querulæ profatur,
Ac eam cernit placidis ocellis,
Hic Iõannes mulier propago
Sit tibi pro me.
Post Iõanni loquitur dolenti,

En tuam Matrem celebrem minister,
Seruies illi, Soboles adesto
Pectore posthac.

Sapphica autoris Ode.

MOrte de dira referam quid inde?
Sic duos inter rapidos latrones
Diua pendebat Soboles in aura
Ob charitatem.
Fante tunc Christo, sitio, tulerunt
Spongiam plenam rabidi liquoris,
Quo piè sumpto, retulit, peractus
Est dolor omnis.
Talibus uerbis ab eo relatis,
Mens sacrum corpus Domini reliquit,
Illa cum sancto petijt latrone
Tartara ditis.
Traxit hinc Patres Erebis ab atris:
Impium strinxit laqueis Sathanam:
Ac simul tristeis furias sorores
Ille Redemptor.
Morte de sæua Mariæ dolentes
Cum pia letum Genitrice flebant:
Labitur propter nimios dolores
Inclyta Mater.

Doxa pio Patri, Nato, cum Flamine Diuo,
Qui ſine principio degit, ſemperq́; triumphat.

Elega Aña.

Turma crucem latam cernit in arce ferox,
Solantur Matrem perquerulam ſociæ.

Proſaicum capitellum.

FLagrãtibus præcordijs oſculãdoque, & ample ctendo horridam crucem ſuper lachrymoſam Matrem de ſacroſanctis Ieſu artubus omnibus ro ſaceus affatim fluebat cruor.

Gratias miteis agimus Potenti.

Pherecracius verſus.

Nunc cum Matre querenti.

Reſponſum.

Ploret quiſque fidelis.

Elegiaca precatio.

Chriſte preces noſtras (quæſo) Redemptor habe.
In cruce funeſta Numen adoro tuum,
Pauper ego ſupplex cum Genitrice tua.
Corpus ut extinctum eſt pro charitate tuum,
Sic (poſco) famulis auxiliare tuis:
Vt Patris alta queant ſcandere Regna tui.

AD VESPERAS.

SVmme Plasmator dominans ubiq;,
Adiuua crebrò famulum canentem
Nunc tuæ passos Sobolis dolores
Gente sub atra.
Doxa pio Patri, Nato, cum Flamine Diuo,
Qui sine principio degit, semperq; triumphat.

Pherecracia aña.

In furca fuit atra.

Sapphica ode Matris Iesu loquẽtis.

FAre nunc Matri Soboles cruenta:
Fare nunc Matri miseræ parumper:
Fare nunc Matri uiolata Proles
In cruce tristi.
Quid feram fructus? quid agam negoci?
Quid feram uerbi? quod opusue cudam?
Cui feram magnos animi dolores?
Nescio Mater.
Cor gemit nostrum, penetratque telas
Ipsius tristi gladius dolore.

Cor luit pœnas, cor auetque fatum
Languide fili.
Doxa pio Patri, Nato, cum Flamine Diuo,
Qui sine principio degit, sine fine triumphat.

Sapphica Ode.

TVunc Ioannes Dominæ Propago,
Cæteræ necnon Mariæ sorores
Corde conflebant querulo Potentis
Funera Christi.
Matre cum chara Socij dolentes
Mortuam Prolem Genitoris alti,
Prima quæ cæci Generis piabat
Crimina primi.
Solis eclipsi timuere facta
Militum dux, & rabidæ Phalanges:
Hic erat certè celebris Propheta,
Voce canebant.
Doxa pio patri, Nato, cum Flamine Diuo,
Qui sine principio degit, semperq; triumphat.
Luce Iudæûm properante sacra
Pontio corpus petijt peremptum
Inclytus Christum peramans Iöseph
Cum Nicodemo.
Mater, ac eius sociæ gementes,
Cum uiris furtim ueniunt ad aram

Sanguinis plenam rosei tenentem
Corpus in aura.
Ille uir scandens properanter aram,
Corpus extinctum Sobolis supernæ
Misit intactæ sinui Parentis
Ob charitatem.
Doxa pio Patri, Nato, cum Flamine Diuo,
Qui sine principio degit, semperq; triumphat.

Pherecracia Antiphona.

In furca fuit atra
Extinctus uiolenter
Pro nobis homo uerus.

Prosaicum diuinæ Matris lachrimosæ capitellum.

Fili sanguine purpureo penitus exhauste, O nunc mortuum caput contemplor tuum esse non gemmea, non aurea, non argentea, non denique florida tibiipsi condigna, sed senticosa ornatum corona penetrante teneras cerebri medullas. O perquàm suauem buccam quippe quæ mosaicam gentem inuidiosam, cæterasque nationes infidas altiloquam Patris tui sapientiam suauiter edocuit. O mi chara mirum in modum Proles parumper lamẽtabilem osculare nunc Matrem: uos etiam

brachia, uos etiam cruentæ manus ferreis cuspidibus perforatæ gemebundam (precor) amplectimini matrem. Taceo syncærum latus acuta perforatũ lancea, taceo teneros pedes rudibus clauis perforatos, taceo plagas innumerabileis corpus uirgineũ circundanteis: taceo demùm ignominiosam mortẽ, quàm scelestissimis pro naturæ totius humanæ piaculis animo flagrante passus hodie fuisti.

Gratias miteis agimus Potenti.

Pherecracius versus.

Sic est Virgo locuta.

Heroicum responsum.

Sic lachrymans cæsum Mater uoluebat Iësum.

Elegiaca precatio.

Christe iacens casto uirginis in gremio,
Præsidium posco semper in orbe tuum.
Nunc manibus iunctis, poplitibusque simul
Cum Genitrice colo uulnera corde tua.
Mors tua nostra fides, mors tua nostra salus,
Per quæ scandemus fulgida Regna Patris.

AD COMPLEMENTVM.

SVmme Plaſmator dominans ubique
Adiuua crebrò famulum canentem
Nunc tuæ paſſos Sobolis dolores
Gente ſub atra.
Doxa pio Patri, Nato, cum Flamine Diuo,
Qui ſine principio degit, ſemperq́; triumphat.

Sapphica Ode.

MAter inſomnis, ſocijque cuncti,
Dux Iōſeph, dein Nicodemus, almi
In nouo corpus Domini ſepulchro
Grande ferebant.
Fertur unguentum redolens amœnè,
Vngitur corpus Dómini cruentum,
Triplici panno fuit inuol utum
More uetuſto.
Cum fuit clauſus Dominus ſepulcro,
Mater ægrotans, Comites que triſtes
Impias ægrè Solymas petebant
Corde gementi.

Doxa pio Patri, Nato, cum Flamine Diuo,
Qui sine principio degit, semperq; triumphat.

Sapphica Ode.

PRæsidis iussu remanent acerbi
Milites iuxta tumulum Potentis:
Ne sacrum corpus raperent latenter
Nocte Ministri.
Inquiant unà rabidæ cohortes:
Quisque nunc nostrum uigilet latenter,
Ne iacens corpus tumulo resurgat
Luce sequenti.
Gens carens omni ratione, uecors
Qur Deo frustra renuis superno,
Te quidem mittet Stygias ad undas
Patre uolenti.
Doxa pio Patri, Nato, cum Flamine Diuo,
Qui sine principio degit, semperq; triumphat.

Sapphica Ode.

MAtre lugenti Mariæ relicta
Denuo sanctam petiere tumbam,
Gratia Christum properè uidendi
Luce perorta.
Vna prædicens animo sororum,

D·O·M·

Grande quis ſaxum tumuli reuoluet?
Angelus tumba ſuper hac micabat
Lumine claro.
Sint metus triſtes procul, & dolores,
Corde quem ſummo petitis ſupernus
Iam reſurrexit Dominus, nec eſt hic,
En locus iſte.
Doxa pio Patri, Nato, cum Flamine Diuo,
Qui ſine principio degit, ſemperq; triumphat.

Quum exceſſerat humana ab hac uita æternus Ieſu ſpiritus beati latronis anima comitatus, tartareos in carceres citò cõdeſcendit: ac ibidem primos parentes diu languentes uiſit, conſolatus eſt, illuminauitque, & ab obſcuritate liberauit eos. deinde peruicacem Plutonem, tum Sathanam, tum cæteros eiuſdem ſatellites furibundos lõgè fortius illaqueauit. Poſtremò ab lacubus ſtygijs cũ inſtauratis mẽtibus rediens Ieſus humanum corpus ſuum marmoreo in ſarcophago iacens mirabiliter reſumpſit.
Gratias miteis agimus Potenti.

Heroicus verſus.

Sub triduum tumba Dominus ſurrexit ab ampla.

Reſponſum,

Omnis mens ideò lætetur corde fidelis.

SOLI DEO ... BONON ... LAVS

Pherecracium Canticum.

Ad ſublime ſepulchrum
(Quò ſurrexit Ieſus)
Nunc pergamus ouanter.

Veriſimilis Ieſu apparitio poſt ſalutiferam eiuſdē inſtauratione ante gemebundam Matrem æternum Patrem feruenti animo precantem.

INſit Ieſus, nunc & ſemper aucto quàm chariſſima mater. Ecce propago tua dubio procul inſtaurata: ecce caput meum nunc abſque dolore, quod paucis ante diebus fuerat ſenticoſa ornatum corona: ecce latus peracuta cuſpide apertum: en ambas manus, en ambos pedes ferreis perforatos clauis: en denique nō fictum, ſed uerum corpus caſtiſſima in aluo tua diuino ſpiritu conceptum: id profectò ſecūdum ueridicos prophetas nunc eſt inſtauratum, Mater ideò nunc lætare, nunc ab animo funebrem mœſtitiam omnem penitus expellito: triſtes ab oculis caſtiſſimis ſint lachrymæ procul: nunc etenim omnimodam habes promiſſionem à me tibi conceſſam ipſi. Poſtremò profugos tyrones meos,

pediſſequasque tuas in noſtra inſtauratione uacil- lantes nomine meo ſempiterna impertito (precor) ſalute. Cernito pariter triumphaleis animas (quæ quidem iure tibi aſſurgunt) cruore meo redemptas. Denique ſemper exhilara ſpiritū, longæuos ac fœ- liceis uiuito dies. Nempe tui memor ego ipſe ad mortem uſque fuero, & tandem animatum corpus tuū ſempiternas ad ædes conducā uolēti Genitore.

Gratias miteis agimus Potenti.

Veriſimilis primorū parentum a Chriſto redēptorum ſalutatio con ram perhilari matre.

INquiunt triumphales animæ. Salueto pij Soteris noſtri illi- bata Mater, eapropter nunc etiam atque etiam tibi meritò aſſurgimus, & ſemper aſſur- gemus. Salueto iterū atque ite rū perquā excellens Maria diuini ſpiritus plena. Te ipſā igitur iure cæteris præ creaturis colunt Sera- phin, Cherubin, Poteſtates, Throni, Dominatio- nes, Principatus, Virtutes, tū Angeli, tū Archāge li: quos quidē fulgore, potētia, charitate, ſpe, fide,

Iustitia, Fortitudine, Temperantia, & Prudentia omni tam præclara in arce, quàm in terris ſuperas. Sacerdotes ideò ſacra in æde militanti noctibus atque diebus te in horas ad aſtra extollunt uſque. Te Imperatores, Reges, Archiduces, Principes, comites, equites aurati, & tandem nobile genus omne collaudabunt: atque tam aduerſis, quàm proſperis in eorum rebus te precentur. Te Medici ſapientes ægrotantibus in dies medicantes corporibus, te iuriſperiti Præſides in iudicando, milites in belligerando, fauorem poſtulabunt tuum: te cauſidici ſeu aduocati, te procuratores litigãtibus cõſulentes iuridico in foro, te urbiũ rectores, te gymnaſiarchæ tyrones uarios regẽtes, te opifices, te coloni ſeu agricolæ in eorum negotijs & laboribus conſulent. Te periclitãtes in freto fortibus uentis agitato, & alijs in fluminibus rapidis, te uiatores in uia conuocabunt errantes. Tu fœcunda inopum atque pauperum nutrix prædicaberis, tu uiduarum marito, & liberis orbarum conſolatrix, tu poſtremò languentibus tutiſsima ſalus. Eapropter perpetuis tẽporibus nos immortales animæ à præſenti prole tua nunc redemptæ continuò te uenerabimur ipſam, atque colemus.

Gratias miteis agimus Potenti.

Verisimilis intactæ Matris respõsio coram triumphante & resurgẽte a sepulchro Iesu, & coram beatis spiritibus ab eo redemptis.

LAEtor equidẽ fœlicissima ego mater instauratione tua diu à me optata mi charissime fili. Profectò quàm tristissimi languores mentis meæ nunc recens in gaudium conflectuntur: nũc querulosos desino fletus: nunc nunc præcordia exhilarantur mea: nunc uitaleis resumo uireis: nunc denique fœmineo sexu me multò beatiorem uideo: & præcipuè quum trinam sub lucem mirificè (ueluti promiseras mihi) corpus tuum est instauratum: pariter primi parentes (ut uideo) preciosi cruoris ab effusione tui nunc reparati sunt: qui quidem ueridica præsagia salutiferi aduentus, tum peramaræ paßionis, tum mirificæ instaurationis tuæ prædicarunt. Inter hæc triumphans Iesus, *& immortales animæ præclaris ab oculis synceræ Matris subitò recesserunt cantando, Superillustris Mater perquàm alacreis uiuito dies: teipsam sæpe uisemus, antèquam ad supernum* Pa=

trē adſcendamus. Sic conſolata ſummo Plaſmatori gratias immortaleis corde & animo, poplitibus manibuſque iunctis reddendo remanſit Virgo.

Gratia miteis agimus Potenti.

Ad perſpicacē Stephanū Rolandum vtriuſ. Iur. Doctorē Viennēſis primatus officialem Petri Buſſeroni hexaſtichon.

TE precor, ut libeat frugi perpendere Vitem,
Quam ſeuit mirè cœlicus ille Pater.
Ipſius hinc ramos ualeas meditarier altos,
Qui legem uitis nos monuere ſacram.
Noſtra tuo ſinui (ſolers Rolande) ſereno
Cymbula forſan erit pondere preſſa nimis.
Viuito fœlicem uitam cum uite perenni,
Quæ tribuit fidis regna beata uiris.

Proſaicū ſupremam vitem, ac frugiferos eiuſdem palmites ſermone breui recitat id argumentum.

Vltis etenim præ temporũ curriculis semper in empyreo axe dominans caussarum Sator innocentem physin unico nutu piè plasmauerat. Insuper huic oppidòquã munificam concedit facultatem, præsertim quando eãdem amœnissimo in horto fructiferis arboribus exornato cõfestim collocauit, atque tribuit eidem robur omne, quò posset quoscunque fructus præter uitæ lignum audacter esse. At illa sub exiguo tempore maxima æterni Satoris edicta inconsultè floccipẽdens, bonum malumq; sciẽdi gratia, uetitum uipereo cum monitu fructum lurcorninè gustauit. Eapropter rerum auidus & pietate cõmotus omni Sator hoc in labyrintho caduco illibatũ sibi clemẽter ipsi elegit hortũ, nec minus in eo quàm lõgissima post tpa saluberrimã uitẽ luciferas ad arceis usq; extollẽtẽ, mirificè cõseuit. Paulòpost ab ea Palmites duodecim exorti fuère copiosissimos producẽtes racemos, q prædulcibus uuis affatim nitebãt. Quũ uiriliter grãdiuscula fuerat uitis innumerabilia summo cũ Satore in dies mirabiliter agebat portẽta. Nãq; primitus uarijs, tũ lãguidis, tũ per quam acerbis, tũ deniq; mortiferis ægritudinibus laborãtes (quippe q suaueis uitis uuas nixi sunt fidissimè gustare) dubio procul mox sanabãtur: etiam atq;

etiam hi(quos uersuti cacodæmones dirè torque=
bant)non modò salui fiebãt,sed cadauera quoq; in
sarcophago iandiu fœtentia,sub uitis umbra pro=
perè instaurabãtur. Quapropter iniquũ ob liuorẽ
uulnificis unguibus saluberrimã uitem lacerâuere,
necnon crudeliter occîrũt immunes satrapæ, tan=
quã rabiosæ tigres,furibundi quoque leones.Exin=
de ræcemifera nefastissimis à crocodilis prorsus
etruncata uite, quàm fidissimi palmites diuino cũ
Paracleto adhuc aliquantulum degêre,nec minus
sterilem gean laboriosè circũdederũt,quàm quidẽ
terrã fœcũdis eorũ uuis suauiter irrorabãt.Quem=
admodum salutifera uitis humano lumine orbatos
prius illuminauerat, & absque pharmacis (quæ
terra humanæ physi largitur copiosè) sanauerat
mutos,loripedes,maniacos siue dæmoniacos,arthe
ticos,chiragricos,sciaticos,podagricos, & tandẽ
quoscúnque morbos uariabile hominũ genus in ho
ras passim aggredientes.Itidem summo in beatæ ui
tis nomine medicabantur ægrotantibus,& mirabi=
liter instaurabant omneis(qui fideliter credebant)
saluberrimi palmites.Heu nefandam adeò stirpem
(quam perhorrendus oblaquearat sathan) tantis
pro beneficijs iniquè iubentem cruentis lictoribus,
ut fructiferos uitis æternæ Palmites,ac cæteros ab

eis fluentes, ramos (quorum difficilis narratu nimium foret numerus) rudibus imprimis laniarent uerberibus. Post hæc rapidas eos in aquas, sulphureos in igneisué impiè proiecerũt, aut ipsos luridis crucibus, siue patibulis tristibus uiolenter dediderunt, aut alijs quibus putàs tormentis omnimoda pietate propulsa suffocárunt. Verumenimuerò inex cogitabilis omnium Sator aspiciens quàm charissimam eius Vitem huberrimis cum Palmitibus, & ramusculis ab eis manantibus, uelut insons & imbellis agna uoraces inter lupos uesanis á uersipellibus tam crudeliter extinctam. Is profectò sub exiguis temporibus mortaleis scuticas impijs nebulonibus & tyrãnis æquissimo iure præmisit. Quatinus execrandum nefas omne non remanebit impune, sic nec opulens bonum (ut canitur) unquam fuerit irremuneratum. Lento enim gradu ad uindictam sui diuina procedit ira, tarditatemque supplicij grauitate compensat. Quum uerò cœlica Vitis (quæ in propria utique uenerat) haud à suis, sed ab aduenis hilari fronte percepta cultáque fuit. Tunc mosaica ueracis scripturæ munimenta penitus in gratiæ rudimenta inter alienigenas cum martyrijs conflexa fuerunt. Idcirco feruenti corde frugiferum Satoris summi plantarium uirtutes amplectens omneis, parumper excogitaui: & postea mihiipsi explo=

ratum ilico fuit super altissimam uitem, & Palmites eius odoriferos flores, uiridiaqué folia, & radices colligere nonnullos. Vnde sapphicum Horariũ (quod prælo nunc datur) iuxta tenueis ingenioli uireis poeticæ ac similiter prosaicæ facultatis expers & ferè salebrosus ego gradatim glomeraui. Illud utique quatuor amplectitur libellos, quorum uerò primus hilarißimum supremæ uitis aduentũ, sequens uerò mœstißimam mortem suam cum meritis eiusdem parentis charissimæ collaudationibus recitant. Tertius autem damnosa septem monstra mortalium animas in baratrum trahentia, omninò exprobrat. Quartus & ultimus deuota cœlicolarum modicis sermonibus præconia enucleat. Quàm fidißimus ergo Christicola quisque hoc meditans opusculum, sanequàm suaueis immensæ uitis liquores gutture pleno gustabit. Sic adipisci perpetuas sedeis sine dubio ualebit ullo, quibus cum lucifero numine trino immortales & etiam triumphales animæ nunc lætantur ac inæternum fruentur. Hoc deniq; anno. D.M.D.XXXVII. Martio Mẽse in diui Andreæ costa uiuifluæ uitis exemplar editum.

Amen.

Sapphicum superna de vite canticum.

Vera sum uitis, Genitorq; noster
Est sator rerum residens ubiq;:
Palmites estis penitus salubres
Gentibus orbis.
Quæ sacros fructus gerit omnis arbos
Me colit, nostrum celebratq; Patrem.
Iussa (quæ uobis refero) diserta
Edidit ille.
Nullus hîc uestrum timeat malignos,
Qui necant corpus properè caducum:
At Patrem summum penitus rogate
Corde profundo.
Ipse uos semper famulos tuebor,
Ne pias menteis uitiet rebellis
Dæmon, in quem uos Paracletus ingens
Dicta docebit.
Dein rudeis gressum populos monebit
Cœlicum, & tandem uenient in arceis:
Nunc quibus mites animæ fruuntur
Patre nuenti.

Heroica precatio ante redemptorem piè dicenda, quam quidem iuxta illlius passionis acerbæ gesta vigilanter autor ego glomeraui.

*A*Rdua gesta tuæ clemens nunc mortis acerbæ
Totius humani generis Reparator habeto:
Quæ nos hic canimus heroiscā-tibus ipsi.

Te padoro

tuis dātē cœnam ipse ministris.
fuisti cum tu traditus arte;
tuum Genitorem corde rogantē,
truci dantem pia basia Iudæ,
clam captū sub nocte silenti,
pie ductum uiolenter ad Annā,
sacerdotē Cayphā āte profanū,
flagellatū sub præside nequam,
nulla Herodi uerba locutum,
damnatum sine iure probato,
rea furcam pro gente ferentem,
cruci fixum crudeliter altæ,
leuatum sub cæci aëra Phebi,
duos inter fures quoq; stinctū,
sitū diuæ inter brachia Matris,
iacentē in grādi uase recenti,
Patres Erebi de fauce trahentē,
resurgentē de morte cruenta,
prius uisentem pectore Matrē,
meis numeris immēse Redēptor,

Nocte, dieque tuum Numen peradoro ſupernum,
Hoſce (precor) ueniã præbeto canẽtibus hymnos.

Altera Ieſu paſſiõis collectio hexametra & elegiaca.

HOrribileis mortale genus me
ditare dolores,
Quos Chriſtus miſero paſ=
ſus in orbe fuit:
Paſſus in orbe fuit pro te con
tagia mille,
Mille humeris etiam uerbera dira tulit.
Sic uoluit pro te ſpinoſam ferre coronam,
Quæ tenerum potuit tunc penetrare caput.
Lactea quid duris lacerarũt membra flagellis?
Quid roſeas fœdant ſtiria, ſputa genas?
Prætor cum condemnauit, quid mortis acerbæ?
Quid ſummum rapuit plæbs truculenta uirum?
Plæbs truculenta uirũ quid in alta cacumina mõtis
Caluariæ duxit ſub cruce letifera?
Brachia ſponte cruci non tãtum ſacra ſupinæ,
Aſt etiam corpus præbuit ille ſuum.
Confodit clauis cur gens uiolenter acutis?
Sæua manus ſacras cur teneroſque pedes?
Terribilem hæc furcam phœbæas miſit in auras:
In qua pendebat ille Propheta pius.

D·O·M·

Hasce notas. I. N. R. I. tabulæ coniũxit oliuæ
Pro titulo iudex Pontius ille ferox.
Hunc apici furcæ Domini præfigere iußit:
Tu Regem noli dicere plæbs ululans.
Hæc elemẽta (manu propria quæ scripsimus ipsi)
In cruce ut emineant ciuica iura uolunt.
Ciuica iura uolunt ea uestro more uetusto
Vt pateant hominis crimina dira rei.
Impia plæbs faciens iter, ac imbuta cachinis,
Talia uerba ferens, concutiensque caput.
Quur alios saluere facis? te nòn potes ipse,
Si Deus es summus, ut canis ore leui.
De cruce nunc coram nobis descende peratra:
In tua credemus dogmata corde pio.
Perforat inde latus miles tunc cuspide cæcus,
Quo cruor, ac liquidæ copia fluxit aquæ.
Sic perijt tetra summus sub gente sacerdos:
Mitis ut ab rabido mãditur agna lupo.
Perdidit extemplò rutilans sua lumina Titan,
Signa dedere trucis sidera cuncta necis,
Vela sacri pariter delubri scissa fuere:
Tunc surrexeruut corpora sancta uirûm.
Tũc tremuit spumans pontus, cælũ, quoquè tellus,
Saxea monstra, rudes post gemuere feræ.
Obstupuere graues nymphæ, modulansque caterua
Musarũ, quæ homines carmina magna docent.

Terrifico ſtrepuere ſono (mirabile dictu)
Corpora ſublimi cuncta creata Patre.
Quum te igitur Proles hominis celebrāda redemit:
Vota, preces illi, thura ſabæa feres.
Iunge manus ambas, luge nunc poplite flexo
Ante redemptorem crimina corde tua.
Poſt ſcelus abradet, temet facietque beatum,
Si tamen es miſeris cum charitate pius.
Quæ canimus, noſtram docuit Prouincia mentem,
Cui dabit angelicos Chriſtus in arce choros.
Amen.

Heroica precatio.

Svmme Pater, colimus quē nos de nomine trino,
Huc ades, ac inopum ſemper miſerere Virorū,
Rebus in aduerſis ipſos ualeaſque tueri,
Chriſticolas uagulos conſerua ſemper ab arce
Impia ne Mauortis eos corrodat alumna,
Peſtifer ac morbus nunquam oris regnet in hiſce,
Nec minus ipſa fames procul eſto lāguida ſemper,
Vota, leueiſque preces (quæſo) nūc ſuſcipe noſtras,
Ne nos oblaqueet ſtygio cacodæmon in atro,
Vltima quum parcarum humanos claudet ocellos,
Da ueniam, aſtriferas demum fac cernere ſedes,
In quibus æquæ mentes nunc ſunt prole uolēti.
Gratias miteis agimus Potenti.

Dæmoniorũ quæ nos ad septem peccata mortalia impellunt, nomina.

Perdere Leuiathan me truculentus auet,
Me premit inuidia Belzebub ille ferox,
Cotidie Baberith me furiare facit,
Me Belphœgor edax decipit in dapibus,
Asmodeus petulans me necat ob uenerem,
Astraroth horrificus me facit hic hebetem,
Me Mammon ob opes angit ubique uafer.

CONFESSORII ANTE PIVM PLASMATOREM PSALmuli septem, quorum primus erit de damnabili tumidæ superbiæ Monstro sub elegiaco versu.



SVPERBVS
DEVM VENIAM PETIT.

Nunc querulos gemitus, nunc mea uota cape,
Humani generis totius alte Pater.
Ad te confugio corde superbus ego,
Confiteor tetrica me fore labe reum.

Vexauit sensus gloria uana meos.
Diuitijs, opibus glorior ipse tuis,
De quibus haud grates (ut teneor) retuli.
Crimina periacto sæpius ore mea.
Me simulo mitem sæpius esse uirum.
Si quod opus feci pectore laudo pàlam.
Quæ mihi sacra iubes, cantica non recolo,
Vt decet haud iussis morigerorq; tuis.
Perqueuicax animo te stimulante fui.
A` me negligitur pauperies & inops.
A me clarus homo spernitur, atq; sagax.
Aspera uerba pijs fratribus ipse tuli.
Crimina commisi mille scienter ego.
Imprudens habeor sub bonitate tua.
Spiritui nostro mille pericla dedi.
Vnde luit corpus uerbera iure tua.
Me uerbis stolidus præfero sæpe tuis.
Collaudo temerè nomen ad astra meum.
Extollo studij robora parua mei.
Sanctas (ut uidear) fingo tenere uias.
Præsumpsi arcanum nobile scire tuum.
Sæpius in fratres iurgia flecto meos.
Sic renui monitus, quos mihi tuipse dabas.
Quæ bona sunt uereor, quæ mala sunt perago:
Dum uagus, ac audax, dum fatuusqué fui.
Hoc fecisse nefas exitiale pudet.

Parce igitur seruo nunc Deus alte tuo.

Heroica precatio.

Quæsumus altipotens semper te corde profundo,
Vt procul à nobis sit amara superbia posthac:
Ne menteis rapiat titubanteis orbe sub isto
Ille uafer Dæmon stygij dominator auerni:
At ualeant sublime tuum cognoscere Pignus,
Quod dabit astriferas nobis lugentibus arceis.
Amen.

Secundum mordacis inuidiæ Monstrum.

TAbificus liuor lapsus ab arce poli,
Cũ trucibus socijs me premit alte Deus.
Liuor edax nostrum deuorat ingenium,
Qui prothoplaustum polluit arte uirum.
Propterea patimur mille flagella modò.
Verbigenam Sobolem tradidit ille cruci,
Tyrones eius perdidit atque pios,
Torsit & occidit Pontificesque sacros.
Insontes pueros ensibus ille dedit,
Induperatores torsit & ingenuos,
Sæpæ sacros Reges decipit inuidia,
Sæpius inuidia ueriloqui pereunt.
Virtutem stimulis derogat inuidia,

D·O·M·

Postulat alterius diuitias & opes.
Vipereo lacerat cantica dente mea,
Quottidie famam derogat illa meam.
Sic de alijs tacita uoce susurro uiris:
Quos etiam inuidia criminor ipse miser.
Alterius damnus lætor iniquus ego.
Machinor inuidiam nocte, dieq; trucem.
Qui caret inuidia Pauper habetur inops.
Quid uerbis opus est? inuidet omnis homo.
Liuor edax urbeis, oppida, Regna terit.
Liuor edax hominum corpora multa necat.

si qs me fuerit { *sanctior, dignior, doctior, clarior, pulchrior, sanior, fortior, ditior, faustior, grandior, mitior, gratior,* } *inuideo.*

Inuidiosus ego Vir probus opto fore.

INVIDVS DEVM VENIAM PETIT.

Hoc feciſſe nefas exitiale pudet:
Parce igitur ſeruo nunc Deus alme tuo.

Heroica precatio.

QVæſumus Entipotens ſemper te corde profundo,
Vt procul à uobis poſthac ſit liuor iniquus:
Ne menteis rapiat titubanteis orbe ſub iſto
Ille uorax Dæmon fœdi dominator auerni,
Ac ualeant ſublime tuum cognoſcere Pignus,
Quod dabit æthereas nobis lachrymātibus arceis.

Tertium furioſæ bilis Monſtrum.

Iracundus ego te precor alte Deus,
Vt frænes animum (quem premit ira) meum,
Corporeos ſenſus bilis amara necat,
Sub qua principium ſtulta phreneſis habet.
Si cauſæ (ueluti poſtulo) non ueniunt,
Execror incaſſum concutioquē caput,
Conteſtor ſtygium Dæmona ſæpe miſer,

Qui perauet laqueis me laqueare suis.
Rebus in aduersis impatiens habeor,
Haud mihi sum concors, non alijs placeo,
Fratribus irascor non ratione meis,
Quorum tunc mortem bile iubente rogo,
Quum mihi quis fatur, me rapit ira minax.
Pro leuibus uerbis tristor acerbus ego.
Calcaribus pungit me furor ipse uorax.
Grandiloquos homines odijt ira mea.
Ipse pio monitu constomachatus eram.
Si quis me arguerit crimine ueridico,
Hunc capitali odio prosequor aßiduè.

IRACVN-DVS DEVM VE-NIAM PETIT.

Heroica precatio.

Quæsumus orbipotens semper te corde profundo,
Vt procul à nobis miseris furibunda sit ira,
Ne menteis rapiat titubanteis orbe sub isto
Ille ferox Pluto nigri dominator auerni,

Sed ualeant ſublime tuum cognoſcere Pignus,
Quod dabit æternas nobis languentibus ædeis.

Quartum effrænis gulæ mōſtrum.

INſatiata ſubeſt ô Deus alte gula,
Quæ me lurconem prouocat eſſe ferum.
Crapulor abſque fame, ſum comedoq́; uorax.
Copia multa meri me titubare facit.
Me citat ad luxum copia multa meri,
In fratres ideò iurgia flecto meos.
Balbutit nimio gloſſula mixta mero.
Eſſe meos aueo cum leuitate bolos.
Corporeos ſenſus crapula multa rapit.
Viſcereis dapibus gaudeo ſcurra nimis.
Corporeos artus nunc gula debilitat.
Commouet ac lumbos hæc gula fœda meos.
Inficit hæc animam, uexat & ingenium.
Si non rite cibos præparat ipſe coquus,
Iraſcor properè, conqueror, huicque minor:
Effrænem poſſum non ſatiare gulam,
Hæc torquet ſtomachum, lumina noſtra necat,
Nauſea conſequitur, me uomituſque rapit.
Nocte dieque uorax me premit ipſa gula,
Quā miti fræno comprime (quæſo) Deus.
Hoc feciſſe nefas exitiale pudet:
Parce igitur ſeruo nunc Deus alme tuo.

LVRCO DEVM VENIAM PETIT.

Heroica precatio.

QVæsumus altipotens semper te corde profundo,
Vt procul à nobis gula nũc sit corpora uastans,
Ne mēteis rapiat titubāteis orbe sub isto
Ille Sathan sæuus fusci dominator auerni:
At ualeant sublime tuũ concernere Pignus,
Quod dabit immensas ueniam quærentibus ædeis.

Quintũ petulantis luxuriæ Mõstrũ.

COElice Plasmator sponte creata regens,
Quæ freta, quæ tellus, quæ polus omnis habet.
Infræneis lumbos comprime (quæso) meos,
Qui stimulant carnem nocte, dieque meam.
Omne genus uiuens cæca libido mouet,
Me citat ad luxus ille cupido minax.
O quoties fornix me petulans habuit.
Fœdarunt animam turpia scorta meam.

Corpore, mente fui fœdus adulter ego.
Post uiduas nixus sum uitiare procax,
Optaui nymphas commaculare sacras,
Dein fratrum sponsas ipse secutus eram.
Iuraui frustra te Deus ipse miser,
Testatus rapidum Dæmona sæpe fui.
Fallere quò possem tunc muliebre genus.
Vxori alterius plurima uerba dedi,
Vt quirem hanc donis illaqueare meis.
Hubera conspexi luxuriosa diu.
Oscula multoties luxuriosa dedi.
Tacta fuit manibus uulua pudenda meis:
Quæ polluta fuit tactibus inde meis.
Post mea quippe physis conuitiata fuit:
Obscuros petij nocte, dieque locos,
Ipse ut eam possem conuitiare diu,
Si mens non poterat forte coire mea,
Vt meretrix optat, pectore tristis eram,
Concubitus meretrix si renuebat eos:
Mox stomachatus eram, sicqué minabar ei.
zelotypis odijs ipse sequebar eam,
Detexi uario nomen in orbe suum,
In luxu amisi tempora sæpe mea.
Me sacra rapuit luce Cupido uagus,
Corpus & exhausit tanta libido meum.
Iure ide ò pœnas membra luere graueis.

Exhaustiq; artus sæpe fuere mei:
Ob luxus homines mille modis pereunt.
Vana libido mihi iurgia mille dedit.
Non mea continui membra pudenda miser,
Namq; hæc detexi fœmineum ante genus,
Vt manibus blandè tangeret illud ea.
Im me temperies pauca pudoris erat.
Instabileis gressus sistere non potui.
Non meditatus eram multa pericla procax.
Quæ sub continua luxurie ueniunt.
Pennatus multos sæpe fefellit amor.
Si diuini operis quid meditor, colouè:
Quum uigilo, dum epulor, dum superis do preces.
Si loquor, aut iaceo, si facioq; uiam,
Ingenium torsit sæua libido meum.
Polluit hæc animam nocte, dieq; meam.
Non literis operam dare sinebat ea,
Propter eam populo mille pericla dedi.
A recto extractus cardine sæpe fuit:
Hoc fecisse nefas exitiale pudet.
Parce igitur seruo nunc mihi (quæso) Deus.

LIBIDINOSUS DEUM VENIAM PETIT.

Heroa precatio in libidinem.

Quæſumus amplipotens ſemper te corde profundo,
Vt procul à nobis poſthac ſit amara libido,
Ne menteis rapiat titubanteis orbe ſub iſto,
Ille procax Dæmon cæci dominator auerni,
At ualeant ſublime tuum cognoſcere Pignus,
Quod dabit eximias ueniam quærentibus arceis.

Sextum inſatiabilis auaritiæ Monſtrum.

AD te conflecto cantica noſtra Deus,
Pauper auarus ego nunc tua Regna *petens.*
At me ſolicitat triſtis auaricia.
A me uexatur debitor ipſe meus,
Per fas atq; nefas dira rapina rapit,

Propter opes multi tetrica bella gerunt,
Sæpius orbis opes, diuitiæ pariter
Euertũt urbeis, inficiunt animam.
Sic multos homines perdit auaricia.
Fallit auaricia fœmineumqué genus.
Num insontem Christum tradidit illa cruci?
Tradidit illa cruci discipulosqué suos.
Innumeros Reges fallit auaricia.
Omne hominum certè nunc genus optat opes.
Sæpe ob opes dira morte uiator obit,
Vt nos historias edocuere libri.
Conglomero fragileis diuitias & opes:
Vt mihi detur honos, quem petit omnis homo.
Propter opes sanctam peiero sæpe fidem.
Euoco propter opes Dæmona sæpe uafrum.
Propter opes litem fratribus ipse tuli.
Omnia complecti Regna superba uelim.
Cõmisi fraudes innumeras ob opes.
Si mihi cuncta forent, insatiatus ero,
Ni properè faueas nunc mihi diue Pater,
Ni nostram reprimas prorsus auariciam,
Hic nihil existo, perditur hic anima.

Non pius ipſe fui
Sicut oportebat
Non inopes iuui
Dogmata ſancta ſij
Non æquæ uixi
Non bene correxi
Non bene conſului — propter auariciam.
Non bene porrexi
Non uiduas foui
Non ægros uiſi
Non ſtolidos monui
Non properè ſtudui
Mendax ſæpe fui
Taxillis luſi
Luſi alijs uetitis luſibus ipſe miſer,
In quibus amiſi tempora, ſic & opes,
Ob quam rem certè perſtomachatus eram,
Acris inexpletæ liuor auariciæ
Me ſinat (oro) Deus te duce cuncta uidens,
Vt miſeris ſemper ipſe fauere queam,
Quos premit exurens nunc ſitis, atq; fames:
Per quæ homines multi nunc pereunt inopes:
Hoc feciſſe nefas exitiale pudet.
Parce igitur ſeruo nunc Deus alte precor.

AVARVS DEVM VENIAM PETIT.

Heroa precatio in auaritiam.

Væsumus axipotens semper te corde profundo,
Vt procul à nobismet auaritia esto proterua,
Ne menteis rapiat titubanteis orbe sub isto
Ille uorax, ac insatiatus Dæmon auerni,
At ualeant sublime tuum cognoscere Pignus,
Quod dabit astriferas ueniam quærentibus ædeis.
Amen.

Septimum & vltimum frigidæ mõstrum pigritiæ.

Clarificans causas nunc Deus alme rudes,
Edoceas famulum dogmata sacra tuum:
Quem modò pigritiæ pes remoratur iners.
Me grauis anxietas nocte, dieque sopit,
Sopit & ingenium quottidiequé meum.
Impedit hæc sensus, me facit hæc hebetem:

Vnde pusillanimis sum sine consilio.
Me piger error habet, qui pia uota necat.
In causis pigra mens ratione caret.
In Deitate tua spes mihi lenta fuit,
In charitate pia non uigilare queo.
Lentus eram munus grande regendo meum,
Vnde mea læsus frater ab arte fuit.
Propter pigritiam diuitias, & opes
Amisi, necnon spirituale bonum.
Perdidit incassum tempus in orbe piger:
Amissum tempus non reparare puto.
Ocia quæsiui delitiosa diu.
Non in agendo scelus desidiosus eram:
Desidiosus eram rebus in astriferis.
Propter pigritiam commoda pauca tuli.
Hoc fecisse nefas exitiale pudet.
Parce igitur pigro nunc Deus alte mihi.

PIGER VENIAM DEVM PETIT.

Heroa precatio in anxietatem.

Quæsumus omnipotēs semp te corde profūdo,
Vt sex mōstra priora truci cū desidia absint:

Ipse tuos cunctis famulos uirtutibus orna,
Ne menteis rapiat titubanteis orbe sub isto
Ille uafer Dæmon rutilanti lapsus ab aula,
Quam duce te nobis tribuet cum Flamine Iésus.
Amen.

Autoris excusatio.

QVàm disertißime Lector ardu is luculenter refulgens poëmatibus, haud me admiraberis ipsum damnabilia septem caco dæmonum scelera absque numeris hexametris, sed elegiaco carmine solo scripsisse. Id equidem ueridica cũ ratione feci, quippe quam in medium mox afferam. Quum pio Soteri uitia confitemur nostra, profundis hæc cum planctibus seu fletibus eidem ueniam petendo, humiliter propalare debemus. Verumeminuerò elegos græcè luctus latinè uocitatur. Heroicus etenim uersus illustribus, beatißimisquê de rebus maxima gesta uirorum præcanit, elegiaca uerò phrasis funebreis pompas, & alia scelerũ genera procul dubio recitat. Rustici igitur rusticos, generosi generosos, beati beatos, denique damnati damnatos frequenter comitantur. Quid opus est uerbis? Galenus enimuerò ait, quòd similia similibus offeramus, præsertim quãdo cor=

porum auemus crasin, hoc est tẽperãtiã seruare, qualem prius accepit humana physis. lib. 3. microtech. de cau. §. 50. Itaq; tremebũdo in iudicio quã clemẽtissimus Soter piè inqet, Venite benedicti Patris mei, possidete paratũ uobis regnũ. discedite à me maledicti in ignẽ æternũ, qui paratus est diabolo, & angelis eius, Matthæi. c. 25. c. Itidẽ diuinus Vates psalmo. 6. c. idẽ luc, 13. F. Sic boni cũ bonis, peruersi cum peruersis cõtinuò remanebunt. Nimirũ (solertissime uir) habes nõ modò humanã, uerũ diuinã quoq; rõnem præscriptam, quare in Christi passione precationes & confessorios septem psalmos elegiacis numeris prorsus exaraui. Ciuilia quidem iura nobis enucleant, quod cum hoc non lege agimus, erubescimus. de tri. & semis. auth. in prin. collatiõe. 3. §. cõsideremus. Pio tu demum cum Sotere longæuos fœliceisque dies uiuito, nec minus æternùm ualeto.

Heroa & adonica Cœlicolarum Litenia omnium.

Numine de trino alte Pater miserere tuorum
Tempus in omne.
Numine de trino Soboles miserere tuorum
Tempus in omne.
Numine de trino Flamen miserere tuorum
Tempus in omne.
Vnica summipotens Deitas miserere tuorum

D·O·M·

Tempus in omne.
Pro ſeruis Natum pia Virgo precare Supernum
Tempus in omne.
Pro ſeruis chari Seraphin orate Supernum
Tempus in omne.
Pro ſeruis docti Cherubin orate Supernum
Tempus in omne.
Pro ſeruis mitesqué Throni exorate Supernum
Tempus in omne.
Pro ſeruis Dominatores orate Supernum
Tempus in omne.
Pro ſeruis Principatus orate Supernum
Tempus in omne.
Pro ſeruiſq; Poteſtates orate Supernum
Tempus in omne.
Pro ſeruis Virtutes exorate Supernum
Tempus in omne.
Pro ſeruis Angeli nunc orate Supernum
Tempus in omne.
Pro ſeruis Archangeli exorate Supernum
Tempus in omne.
Pro ſeruis Sancti Vates orate Supernum
Tempus in omne.
Pro ſeruis Diui Scribæ exorate Supernum
Tempus in omne.
Pro ſeruis inſontes exorate Supernum

Tempus in omne.
Pro seruis Tyrones exorate Supernum
Tempus in omne.
Pro seruis fidei Testes orate Supernum
Tempus in omne.
Pro seruisq; Sacerdotes orate Supernum
Tempus in omne.
Pro seruis Confessores orate Supernum
Tempus in omne.
Pro seruis Doctores exorate Supernum
Tempus in omne,
Pro seruis sancti Monachi exorate Supernum
Tempus in omne.
Pro seruis & Heremicolæ exorate Supernum
Tempus in omne.
Pro seruis Leuitæ nunc orate Supernum
Tempus in omne.
Pro seruis Virgines nunc orate Supernum
Tempus in omne.
Pro seruis uiduæ nunc exorate Supernum
Tempus in omne.
Pro seruis tandem cuncti exorate Supernum
Cælicolæ (quæso) tempus in omne Patrem.

Sapphica inuocatio ante Christum.

Chriſte nos greſſum moneas ſecundum.
Chriſte nos ſemper famulos tuere.
Chriſte nunc noſtrā moderare mentem.
Chriſte nunc dotes animam doceto.
Chriſte nunc ægris medicare ſeruis.
Chriſte nunc fructus uarios creato.
Chriſte nunc nobis alimenta præbe.
Chriſte nunc ſeruis faueas egenis.
Chriſte nunc Mauors procul eſto dirus.
Chriſte nunc hoſteis reprimas cruentos.
Chriſte nunc omnis procul eſto morbus.
Chriſte non dæmon noceat malignus.
Chriſte conſerua genus omne mundi.
Chriſte conſerua populos uaganteis.
Chriſte nos demum facito beatos
Tempus in omne.

Sapphica de ſacroſancto Ieſu cor pore in cuſtodia reſidente pium ad Chriſticolam exhortatio.

HIc iacens Patris Soboles potentis,
Hic tuam mortē recolo cruentam:
Hic tuum ſupplex egomet ſupernum
Corpus adoro.

Es fides uerax populi uagantis,
Te sacerdotes recolunt in horas,
Do tibi uersus gradiens in æde
Relligiosa.
Hic tuum corpus ueneror perenne,
Corpus immensum uigilanter oro:
Tu mihi gressus facileis ubique
Posco parabis.
Rem mihi faustam tribues petitam,
Atque tu multos numerabis annos:
Post meæ celsas animæ dicabis
(Vt precor) arceis.

Sapphica ad Angelum conductorem nostrum precatio.

Aliger custos uigila super me,
Vt queam summum celebrare Christum:
Me uafer Dæmon fugiat rogantem
Te duce forti.

Sapphica benedictio agẽda sup epulas antequam ingrediamur mensam.

Nos (precor) summus foueat Creator,
Ac cibis cunctis benedicat almè
(Quos simul cuncti capiemus eius)
Dextera Nati.

D·O·M·

Sumptis dapibus gratiæ Cunctipotēti corde & animo reddendæ.

GRatias secli Fabricator huius,
Corde nos grandeis agimus profundo
Cum cibis ipsos uarijs cibasti
Ob charitatem.
Summa da nobis ueniam (precamur)
Patris æterni Soboles, & ore
Pro tuis ora famulis canoro
Maxima Virgo.

De diuis Petro & Paulo.

CLauiger Pastor populi uagantis,
Gentium Doctor celebrisq; Paule
(Quæso) pro nobis Dominum rogate
Altipotentem.

De quatuor Iesu tabellarijs:

QVattuor scribæ calamo deserti
Paginam sacram populos monentes:
Pro reis semper Dominum uigentem
Poscite crebrò.

De diuo Amore.

DVx Amor celsa residens in æde,
Vt fidem tutus ualidè fuisti:

Sapphicæ Petri Busseroni Medicam colentis facultatem, Horę, ad fidissimorum christicolarum vsum, De salutifero Christi Aduentu, de ignominiosa illius morte, de cōdignis eiusdem Matris illibatæ Laudibus, cum septem monstris mortalibus, & præconiis Cœlicolarum, Delphineis in oris ęditæ.



Prostant Lugduni sub signo Sphæræ apud AEgidium & Iacobum Huguetan fratres.

CVM PRIVILEGIO.

M. D. XXXVIII.

Tum scelus, legem Machometiamq;,
Tum Dioneos renuit liquores
Virgo, Maxenti thalamos fugauit
Robore Casto.
Virgo non Regem metuit minacem,
Nonq; lictoris gladios cruenti:
Sceptra quapropter meruit decora
Munere digno.
Cæsa lac fudit niueum cruore,
Vita sic inter superos recessit,
Præbuit Nymphæ subito lacertos
Christus amandæ.
Cœlicam sponsæ triplicem coronam
Sponsus obnixè tribuit Supernus:
AEde nunc Virgo fruitur beata
Cum Patre summo.
Corpus in monteis Arabum tulere
Angeli clara cythara sonantes:
Illud est clausum pario sepulchro
Dante liquores.
Da Pater seruo ueniam roganti'
Summe, da gressus animæ secundos,
Pro tuis ora Dominum potentem
Maxima Costis.



**Mortis exhortatio ad ſtultum di-
uitem funeſto in eius die pompo-
ſas optantem exequias.**

*FAre, ſuperba potens Diues quid funera nunc
fers?
Non animam hæc flectent ad ſacra Regna tuā.
Sed bona quæ facies facient te quippe beatum
Ante Redemptorem, qui fugat omne ſcelus.*

Mente pro nobis humili precare
Numen Olympi.

De beato Viatore.

NOn tuum nomen taceo Viator
Sancte, qui claros meditaris axeis,
Vt uias tradat facileis Redemptor
Te duce nobis.

De sancto Claudio.

PAtrijs Claudi recubans in hisce,
Ad tuos ægri ueniunt fauores,
Inuocant, sani redeunt ad oras
Te duce tuto.
Præsul ò Claudi celebrande, noster
Esto Patronus, uigila super nos,
Cœlicam necnon Sobolem rogato
Cuncta regentem.
Vt tuis semper faueat ministris,
Altus humani generis Redemptor,
Nosq; postremò faciat uenire
Eius ad ædem.

Sapphica & adonica beatam ad Catharinam Ode.

QVi regis semper superos in axe
Me Pater doteis moneas perenneis:

D·O·M·

Vt tuam poßim celebrare Nympham
Coſtida claram.
Illius dignas animo ſcholares
Inclyti laudes decorate magno:
Chriſtus & menteis uacuas cibabit
Flamine Diuo.
Regis o Coſti Catharina proles
Non tuum uerbis potuit malignis
Cæſar integrum uiolare corpus
Ille tyrannus.
Litteras ſacras animoſa miles
Enſe non diro, at ſapienter ore
Tu fidem Chriſti ualidè diſerto
Suſtinuiſti.
Non Deos Virgo celebrare fuſcos,
Nonque Maxenti monitus ſceleſti,
Sed deum uerum uoluit Puella
Conciliare.
Nobilis grandeis literas Platonis
Rite perlegit ſtudioſa Virgo:
Atque decerpſit digitis odora
Lilia Chriſti.
Tunc Sophos uicit Catharina cunctos,
Doctior doctrix ideò remanſit,
Plena totius Sophiæ potentis
Sic fuit illa.

Prælia quid prodeſt Regum ſcripſiſſe cruēta?
Indomitum Martem quid ceciniſſe iuuat?
Non capit hic figmenta liber, ſed pandit Iēſum,
Et ueram cunctis monſtrat ad aſtra uiam.

Proſaica ad eundem exhortatio.

Quod opuſculū uir multiſcius mireq; candidus D. Petrus Buſſeronus inſignis Medicus condidit, ſic legas optime Lector, ut ſaluti tuæ conſulas: ſic probes, ut multò pluris tibi ſit erga religionē noſtrā mens illius, quàm dicendi character, qui ſi cuipiā aut parū ſatiſfacere, aut fortè ſordere uideatur, meminerit is ſententiarum grauitati, magis quàm uerborū lenociniјs optimos quoſqueq; ſemp ſtudere. Adde ueteres pluris eos feciſſe qui rectè uiuerent, quàm qui uenuſtè ſcribere duntaxat curantes accuſatricem conſcientiam nō uererentur: id quod D. Petrus Buſſeronus animo uolutans ſanctiſſimū ſeruatoris uoſtri Chriſti aduentum, eiuſdem item acerbiſſimā Paßionem, mortalibus prodeſſe, quàm conquiſitis ſelectisué dictiōibus placere (quādo utrunq; non datur) magis uolens, non paucis carminum generibus, ſed potißimum ſapphicis utcunqué explicuit. Bene uale.

Musulam Autor alloquitur suam.

I Mea nunc tenuis spaciosum Musa per orbem,
Nunc tua pacifico cantica trade theo.
Ne te perstimulet furibundo Zoilus œstro,
Ne te liuor edax mordeat ore truci.
Dotibus ornatos cupies comitarier almis,
Qui tua flagranti carmina corde legunt.
Semper amat doctus Sophiam laudare disertam,
Omnibus in dictis, actibus, atq; locis.
Derogat indoctus doctum sermone proteruo,
Propter id in ditis tartara dira ruet.
Cerbereis itidem conabitur unguibus æde
In sacra cytharam dilacerare tuam.
Quippe tuum linguas haud est retinere loquaces
Quin ualeant in te uerba canina loqui.
Pallada nemo feram lædit modò præter Arachnen
Cecropiam dantem laurea serta uiris.
Te tamen Altipotens (ut spero) tuebitur ipsam,
Et dabit euentu uota beata tuo,
Per quæ tu demùm poteris conscendere cœlos,
In quibus assiduè gloria celsa uiget.

Nobile si quod opus uiuendo feceris, ille
Hoc uidet, atq; nefas semper ab arce tuum.
Hoc igitur quando fragili tu degis in orbe
Sis pius in miseros, quos premit atra fames.
Sic poteris certè rutilos conscendere cœlos,
In quibus est trini gloria celsa Dei.

Ad deambulanteis & inconsultê confabulãtes sacratis in Delubris Christicolas Decastichon.

AEdibus in sacris uanos componere gressus
Non decet, incassum non decet ore loqui.
Hinc procul ambitiosus honos, fragilisq; susurrus
Hæc poscunt plateæ, uel spatiosa domus.
Poplitibus flexis, animo, manibus quoq; iunctis,
Vota, preces Christo dentur in æde sacra.
Sint procul ambages, syncæra precatio fiat,
Abs qua Cœlipotens flectitur ille Pater.
Christigenæ uestros aliò nunc ducite passus,
Ne uos accuset crimine Pluto rapax.

Ad peritiss. Iacobum Sæcuriuagum corruptos ornatè castigãtem libros apud Lugdunũ, Petri Bussseroni Epigramma.

DVm colis altiloquũ ſolers Iăcobe poëma,
Dũ facis aonias nunc reſonare lyras.
Te Sophus eloq͂o collaudat quiſq; peritus:
Sic te Nympharum curia tota colit.
Nunc ſunt digna uiros inter tua carmina Phœbo:
Nec ſunt Orphæis inferiora ſonis.
Iure igitur mendas librorum hac carpis in ora,
Quos etiam reparat nunc tua Muſa grauis.
Propterea confert hilarem modò corde ſalutem
Palladi grădiloquæ muſula noſtra tuæ.
Ad te opus hoc tenue committo, quod monet alti
Aduentum Chriſti, terribilemque necem.
Fortè quid erroris cecinit ſi muſula noſtra,
Malleus id ualeat (quæſo) fugare tuus.
In proprijs etenim cauſis homo cæcus habetur,
Amittit rectum ſæpe uiator iter.
Deniq; uiue dies longæuos cum omine fauſto
Prebeat ille tibi uota petita Deus.

Ad candidiſſ. quenqué Lectorem ſuper iſtius operis ſapphici cõmendatione Iacobi Sæcuriuagi octoſtichon.

SVme recens Petri Lector ſtudioſe Poëma,
Ortum quod Chriſti cõtinet, atq; necem.
Bella canant alij, furtiuos uel Iouis igneis:
Sint q͂bus hæc placeãt, tu mihi Chriſte places.

Autoris Distichon.

Non mihi, sed Christo sint nūc ac semper honores,
Virgineæ Matri, Cœlicolisquė suis.

Hexametrum Autoris argumentum.

Pegasides Musæ resonantia plectra cientes,
Quattuor in sapphus cithara hos cecinere libellos.
Mirificum astriferi primus dat Pignoris ortum.
Illius inde sequens fatum dispandit acerbum.
Monstra uafri septem plutonis tertius edit.
Corde preces tandem superis fert quartus ouanti.

Sapphicæ de miro Soteris Aduentu incipiuntur Horæ.



SVmme plaſmator dominans ubiq;
Nunc meis cœptis leuibus faueto,
Noſtra tu necnon aperi labella
Corde precamur.

Trinæ Deitati, Intactæq; Virgini quàm meritissimas habet gratias Autor Sapphico cantu.

Numen ò trinum genus omne cernens,
Cum mihi cantus uarios tulisti,
Nunc tibi grates habeo perenneis
Hisce sub horis.
Ad tuos portus fugio serenos,
Ne meam puppim rapiat Charibdis,
Hanc tibi semper libeat tueri
Remige forti.
Hos tibi nostræ numeros opellæ
Dedico, necnon Mariæ nitenti,
Me tuis cum tu superis beato
Mortis in hora. Amen.

Ad pium physis humanæ Soterem Autoris decastichon.

Ad te flecto meos gressus æterna Potestas,
Me famulũ semper protege (quæso) tuum.
Liuor enim mordax, & edax sermone susurro
Me rodit, famæ derogat ille meæ.
Ille refert populo me non cudisse poëma,
Quod de te meritò cantica uera canit.
Testis es alte Redemptor, ut id mea musula lusit:

Id tua sic Genitrix, cœlicolæque probant.
Non mihi, sed uindicta tibi debetur ubique:
Parce mihi, necnon hostibus (oro) meis.

Ad studiosissimũ lectorẽ Hexastichõ

SEmper amat doctus lepidum seruare decorum
Omnibus in dictis, actibus, atque locis.
Balbutire susurrus auet nequam ore proteruo,
Nunc benedicta silet, nunc maledicta refert.
Hinc abeat, pariter sæuus me desinat hostis,
Quò Valeam dulcem tangere ritè chelyn.
Amen.

FINIS.

1537